









1729.

1. Ehrenhaus, Christianus Gualter: De matrimonio sacrum  
feminarum sexu masculino simutato iusto.
2. <sup>a. b.</sup> Gellius, Joh. Constantinus: De venia aetatis.
3. <sup>a. b.</sup> Lorenz, Antonius Josephus: De jure aggrationis.
4. <sup>a. b.</sup> Loeschnerus, Christianus Wilhelmus: Ordinationis sine  
titulo, clerici protestantium collata, licita et  
utilis.
5. <sup>a. b.</sup> Reinhardt, Tob. Jac.: De eo, quod circa occu-  
pationem in bona feudalia iustum est. 2 Sept. 1729  
i. 1745.
6. Reinhardt, Tob. Jac.: De turbatae effectus respectu  
tertii.
7. Reinhardt, Tobias Jac.: De aere in donatione.
8. Reinhardt, Tobias Jac.: De distinctione sponsationum  
in publica et clandestina.

9. Reisharth, Tob. Jac.: De diverso foris secundum  
 jus civile et Germanicum itea.
10. Reisharth, Tob. Jac.: Dissertatio juridica inaus-  
 ritens quaestiones quasdam illustres tam in foro  
 quam cathedra viveat.
11. Reisharth, Tobias Jac.: De iis, quae nobis inventis  
 fiant.
12. Robermann, Jo. Mich.: De testamento unica syllaba  
 confecto et perfecto.
13. Rüdingerus, Zach. Christianus: De avo patris  
 ad alimenta nepoti illegitimo praestanda Goebstrich.
14. Streck, Conradus Wilhelmus: De cessione  
 bonorum famam non suggillantem
15. Streck, Con. W. Ch.: De venditione necessaria

16. Struwer, Com. W. W. W. : De conditionibus fortitiae
17. Struwer, Dr. Philippus, Facult. juridicae Decanus l. b. s.  
(ad Disputationem in eam. Jacobi Henrici Wintzgeri invitat.)
18. Struwer, Dr. Philippus, Facult. juridicae Decanus l. b. s.  
(ad Disputationem in eam. Dr. Caroli Reichelti invitat.)
19. Struwer, Dr. Philippus, Facult. juridicae Decanus l. b. s.  
(ad Disputationem in eam. Friderici Christiani Rudingeri  
invitat.)
20. Struwer, Dr. Philippus, Facult. juridicae Decanus l. b. s.  
(ad Disputationem in eam. Joann. Christiani König-  
invitat.)
21. Struwer, Dr. Philippus, Facult. juridicae Decanus l. b. s.  
(ad Disputationem in eam. Alberti Christiani Ludwig  
invitat.)
22. Struwer, Dr. Philippus, Facult. juridicae Decanus l. b. s.  
(ad Disputationem in eam. Christiani Yocultri Krescheri invitat.)

23. Tengell, Ernestus, Facult. juridicae . . . Prodecanus;  
... et lect. cursoriam . . . haecque finita disor-  
tationem inaug. . . a Joh. Constantino Gellio . . .  
habendas iuritat.

24. Tengelius, Ernestus, : De secreto distributionis  
in concursibus creditorum nonnulli recepti

25. Tengell, Ernestus, Facult. juridicae . . . Prodecanus;  
et lect. curs. . . haecque finita Do. inaugurali,  
a Christiano Wilh. Klaubart. . . habendas . . . in-  
iuritat.

26. Tengelius, Ernestus, Facultat. juridicae . . . Prodecanus;  
Programma inaugurale, quod . . . iuritat. . . et disor-  
tationem inaug. . . a Christiano Wilhelm. Loescher-  
habendam.

27. Tengell, Ernestus : De iure prohibendi, quod civitates  
Saxoniae utantur.



[mit Wappen]

4

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA  
PVBlico-CIVILIS,

DE  
**JVRE AGGRATIANDI;**

QVAM  
VNA CVM NONNVLLIS POSITIO-  
NIBVS EX JVRE PVBlico VNIVERSALI ET  
GERMANICO, NEC NON JURIS CANO-  
NICI, DIGESTORVM ET FEVDO-  
RVM LIBRIS;

1729  
36

IN PERANTIQA VNIVERSITATE ERFORDIENSI,  
RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO  
REVERENDISSIMO ET AMPLISSIMO DOMINO

**DN. PLACIDO,**

REGALIS MONASTERII S. S. APOSTOLORVM PETRI ET PAULI ORD. S.  
BENEDICTI INTRA ERFORDIAM ABBATE, PRÆPOSITVRE ZELENSIS  
ET IN FRANCKERODA AD VVERKHAM DOMINO, S. FACVLT.  
THEOLOG. ASSESSORE PRIMARIO, ETC.

DIVINA FAVENTE CLEMENTIA,  
EX DECRETO ET AVTHORITATE

MAGNIFICI JCTORVM ORDINIS,

PRO LICENTIA DOCTORALI

IN VTROQVE JVRE RITE OBTINENDA,  
IN AVDITORIO JCTORVM MAJORI,  
HORIS CONSVETIS

ERVDITORVM VENTILATIONI SVBMITTIT,

**ANTONIUS JOSEPHVS LARENZ,**  
VVESTPHALO-VVARBVRGENSIS.

DIE XXII. OCTOBRIS, M DCC XXIX.

ERFORDIAE, Litteris GROSCHIANIS, Acad. Typogr.



DISSERTATIO IURIS GENERALIS JURIDICA  
PUBLICA CIVILIS

DE  
JURE AGGRATANDI

QVAE  
VNA CVM NOVVM IN POSITIO  
NIBVS EX JURE BELLO UNIVERSALI ET  
GERMANICO IN NON IURIS CANO  
NICI PUNDO



IN RE  
RECT  
AE  
DA  
REGNS M  
BENEDICT  
ET IN FRAN  
EVINA  
EX DIC

MAGNIFICI SOCIORVM ORDINIS  
PRO LICENTIA DOCTORALI  
IN APTORIO ICTORVM MAIORI  
HONORIS CONSULE

ANTONIVS JOSEPHVS LARENZ  
VARTHELO-VARVAKON

DE TERTIO OCTOBRI MDCCLXXII

ERFORDIAE, PUBLIS GROSCHMANNI, MDCCCLXXII



ILLVSTRISSIMO ET EXCEL-  
LENTISSIMO

DOMINO  
DN. FERDINANDO,  
S. R. I. COMITI

DE  
PLETTENBERG, WITTVM,  
EYS ET VIANEN;

DOMINO IN NORDTKIRCHEN, MEINHÖVEL,  
DAVENSBERG, LEMBECK & NALRATH;  
SACRÆ CÆSAR. REGIÆQVE CA-  
THOLICÆ MAJESTATIS,

NEC NON  
SERENISSIMORVM PRINCIPVM ET ELECTO-  
RVM COLONIENSIS ET BAVARI CONSILIARIO INTI-  
MO ET CAMERARIO, DIOECESIS MONASTERIENSIS  
MARECHALLO HÆREDITARIO; SERENISSIMI ELECTO-  
RIS COLONIENSIS EPISCOPI ET PRINCIPIS PADER-  
BORNENSIS, MONASTERIENSIS, HILDESIENSIS ET  
OSNABVGENSIS MINISTRO PRIMARIO ET  
SVPREMO CAMERARIO,

DOMINO MOECENATI SVO  
GRATIOSISSIMO.

ILLVSTRISIME ET EXCEL-  
LENTISIME

SAC. ROM. IMPERII COMES,  
DOMINE, DOMINE,  
ET PATRONE GRATIOSISIME.



*Si non leviter in humanitatis  
Leges deliquisse mihi videar,*  
ILLVSTRISIME AC EXCEL-  
LENTISIME DOMINE DO-  
MINE, &c. &c. *si innumeras TVAS pro Rei-  
publicæ salute curas vel momentum interpel-  
lare, & vilissimæ huic Dissertationi meæ IL-  
LVSTRISIMVM NOMINIS TVI splendorem ap-  
pingere temerarius attentarem; nihil ominis  
tamen sublimissima TVA, qua etiam minima  
quæ-*

quæque respicis, Clementia, & clementissima  
Sublimitas tantum mihi fiduciaæ addidit, ut  
quò mea me abstertere debebat tenuitas, præ-  
sumere non erubescerem. Ostendisti siqui-  
dem dudum Imperio Romano, quid possint la-  
bores TVI propemodum immensi, in diversis  
legationibus pro salute publica exantlati, &  
Europa admiratur universa. Devinxisti  
omnium TIBI animos stupendâ TVA in Poli-  
ticiis prudentiâ, dum consilia TVA profundis-  
sima, & felicissimam in rebus singulis agendi  
dexteritatem eò semper direxisti, ut præteri-  
ta nunquam præterires, Præsentia profundè  
discuteres, futura sapientissimè prævideres, &  
penè jam ageres à multa primum posteritate  
agenda. Tanto tamen laborum cumulo di-  
stentus nunquam (quod Excelsarum mentium  
indoles est) devotos minimorum etiam subdito-  
rum animos despiciebas. Patere igitur ILLV-  
STRISSE AC EXCELLENTISSE DOMINE DO-  
MINE &c, &c, ut meam hanc de Jure Aggra-  
tiani

A 3

ANTONIVS JOSEPHVS LARHNS

tiandi Dissertationem, in qua præter NOMEN  
TVVM magnum nihil est, tanquam devotissi-  
mam submissi animi tesseram gratisimis TVIS  
favoribus consecrem. Et si forsan in hoc te-  
meritatis delictum commiserò, primum Furis  
Aggratiandi specimen ab innata TVA Clemen-  
tia, quam olim Musæ nostræ Hieranæ abun-  
dè expertæ sunt, demississimè efflagito, cui,  
quoad vivam, devotissimo tibi inserviendi stu-  
dio me humillimè commendans perennes.

ILLVSTRISSIMÆ AC  
GRATIOSISSIMÆ  
EXCELLENTIÆ TVÆ

Devotissimus & humillimus servus

ANTONIUS JOSEPHVS LARENZ.



Q. D. B. V.

DE JURE AGGRATIANDI.  
PROEMIVM.



Inter varia virtutum ornamenta, quæ sublime Principis fastigium illustant, Clementia præminet, quæ, uti adamas in auro, vel sol in cœlo, sic in Principe radiat, ac prima ipsius dos est, imò pretiosissimum Regiæ Majestatis, & Principalis Serenitatis monile dicitur à CHASSAN. *de Glor. Mund.* REINKING. *de R. S. & E. lib. 2. cl. 1. c. 3.* per quam solam Dei imitationem servari, asserit Justinian. *in L. ult. C. de Donat. int. vir. & ux.* Nec enim per aliud Princeps Deo  
pro-

propius accedere potest, quam si hominibus, dando si egerint, indulgendo si supplicaverint, parcendo si deliquerint, salutem conferat; Hæc illa immortalis Imperantium Gloria, quæ tantopere decet Principes, ut Titulum inde adepti, appellentur Clementissimi, juxta *cit.* REIN-KING. quamque exercendo Regnantes subditorum sibi conciliant benevolentiam, quæ sanè præsidium Principis firmissimum, cum munificentissimas habere dicatur Civitates Princeps, quem subditi fide & amore complectuntur. Est autem Clementiæ proprium, pro personarum, locorum ac temporum circumstantiis, juris stricti rigorem mitigare, & ad misericordiam potius, quam ad severitatem deflectere; quò collimare videtur Recess. Imper. de 20. 1526.

§. Es soll auch eine jede Obrigkeit zc. nach Gelegenheit eines jeden Verhandlung sich dermaßen erzeigen/ damit die Unterthanen/ so viel sich immer leyden will/ mehr Gnade und Gütigkeit/ dann Schärffe und Ungnade spüren und finden mögen. Melius enim est, Deo Misericordiæ rationem reddere, quam inclementiæ. *Can. al- ligant. C. XXVI. Q. 7.* perquam piè & appositè



tè etiam loquitur JUSTINIAN. in L. 23. C. de Nupt. dum inquit: *ita credimus Dei benevolentiam, & circa genus humanum nimiam Clementiam (quantum nostræ naturæ possibile est) imitari, qui quotidianis hominum peccatis semper ignoscere dignatur, & pœnitentiam suscipere nostram, & ad meliorem eam statum deducere; quod si circa nostros subiectos imperio nos etiam facere differamus: nulla venia digni esse videbimur.* Potest verò Princeps ex sua Auctoritate non solum pœnas in Lege propositas temperare, sed & planè remittere. L. 9. §. 11. ff. de pœn. Quæ Auctoritas Jus aggratiandi compellari consuevit: Cujus dum Naturam contemplari & pro specimine Inaugurali proponere suscipio, nequiquam mihi animus est latissimam hanc Principalis Clementiæ amplitudinem limitibus circumscribendi, sed tantum ea, quæ vel hac in parte sunt certa prudentum dogmata, è genuinis Jurisprudentiæ universalis, nec non Germanicæ fontibus delibandi, vel etiam inter Interpretes disceptata, in medium producendi. Equidem non inficior, huncce qualem qualem ingenii conatum vix ullius respondere

mirro

B

expe-

expectationi, nec dignum esse, ut doctissima & dextrè polita ora subeat; interim tamen testari poterit, quod non arrogans laudis cupido, sed Promotorum jussus elaborationem publici hujus speciminis mihi præceperit.

CAPVT I.

*De Etymologia, Synonymia, & Definitione  
Juris Aggratiandi.*

§. I.

**V**ocabulum *Juris* variis significationibus circumfluere, ipsis etiam Dupondis adeo notorium est, ut nulla demonstratione indigeat; Conf. *L. pen. & fin. ff. de justit. & jur.* mihi prætermisissis significationibus aliis quas alii passim agglomerant, hoc loco facultatem, ac potestatem jure competentem denotat; in quo significato quoque sumitur *tot. tit. Inst. & ff. De his qui sui vel alien. jur.* ut & in *tit. D. & C. de Jure de liber.* Nec non, quando Majestatis propria, seu Regalia jura dicuntur, ac per hoc vocabulum definiuntur.

§. II.

Vocabulum autem *aggratiandi*, quod è proverbio *Ad, & nomine Græcia*, deductum videtur, nihilominus vulgò barbarum dicitur, & purioris latinitatis amatoribus minus usitatum, veterisque ævi *JCtis* ignotum fuit, adeò, ut ortu licet latinum, non tamen usu tale, hoc verbum fuisse, meritò dixeris. Jam autem usus, &  
forum

forum nostrum hoc verbum diu recepit, & passim à longo jam tempore JCtis non contemnendæ authoritatis existit familiare; quorum nomina, si quis numerare vellet, non multò breviorẽ texeret Catalogum, quàm est Homericus Græcarum navium; enim verò præter innumeros hoc verbum, *Aggraviandi*, usurpant VITRIAR. in *Instit. Jur. Public. Lib. 3. t. 16. n. 112.* SCHWEDER. in *Introd. ad Jus Publ. Part. Spec. Sect. 2. c. 14. n. 4.* COCCEJ. *Jur. publ. prud. Cap. 23. §. 8.* CARPZOV. de *L. Regia. c. 9. Sect. 11. n. 23.* PETR. THEODOR. in *Colleg. Crim. Disp. 10. th. 7. lit. b.* STRUV. *S. I. C. Exerc. 49. th. 89.* Nimirum JCti Practici non habent stomachum adedò delicatum, uti Tiberius, de quo ex SVETONIO refert CVAJAC. in *Paratit. C. de Monopol.* quod græcis quoque vocabulis, quasi barbaris abstinerit, adedò, ut Monopolium nominaturus, priùs veniam postulaverit: quod sibi verbo peregrino utendum esset. Nec nimia religione se verbis adstringunt, illorum instar, quos Ciceroniatros vocamus, qui cum nihil, nisi in Tullio sibi lectum, usurpare volunt, sæpè coguntur reticere, quæ optimè animo conceperunt, vel saltẽm ridiculè admodum circumscribunt, quæ unico, veteribus quidem ignoto, at tamen necessario vocabulo poterant effari. VOSS. de *Viriis Sermon. L. 1. C. 7.* Inde apud magni nominis JCtos variæ tam ab Italis, quam Gallis & Germanis, mutuatæ voces passim leguntur; veluti jus obstagii, quæ vox detorta ab Italica *Obstaggio* & *staggio*, quæ obsidem notat, quem Galli *Ostage* aut *hostage* dicunt. Jus Appanagii; quod à Gallico vocabulo *appenage*, provinciam quandam secundo aut tertio genito, à Principe delegatam

tam denotat. Charta Blanca, à Gallico adjectivo blanc, vel Italico *Bianco*. Diffidatio, à verbo Gallico *diffier*. CARPZOV. *Prax. Crim.* p. 1. *quest.* 37. n. 15. WEHN. *Obs. pract. voc. Befeden*. Instrumentum Guarentigiatum, à Guardia, quod Thuscis & Longobardis custodiam, & securitatem significat. COLER. *de Proc. Execut.* P. 1. c. 3. n. 19.

§. III.

*Jus Aggratiandi*, sive *Aggratiatio* Germanico idiomate sonat, die Begnadigung/ Nachlassung/ Erlöfung/ Linderung der Straffe/ hinc vulgò dicitur: Gnade für Recht gehen lassen. Synonima illius varia occurrunt: vocatur enim quandoque indulgentia. L. 7. 10. § 12. c. de *sentent. pass.* § *resist.* Remissio poenæ, impunitas facinoris. L. 5. pr. ff. de *penis*. Dispensatio, seu mitigatio juris; Relaxatio. Nov. 141. in *fin.* Benevolentia, moderatio, Clementia; L. 23. C. de *Nupt.* Beneficium. L. 3. ff. de *confitut. Princip.* Venia; Augustæ liberalitatis Humanitas; Principalis Serenitatis indultum. L. 3. C. de *Episcop. audient.* Imperatoria Lenitas. L. 5. §. 1. C. ad L. *Ful. Maj.* Criminum seu poenarum abolitio, non quidem in sensu Juris Romani, sed in eo, quem juxta Germaniæ mores sequitur STRYK. in *Dissert. de Abolitione Princip.* quam & hæc ab aggratiatione, strictè dicta, in eo differat, quod aggratiatio concedatur post condemnationem, abolitio verò antè, nempe criminali processu adhuc pendente, & necdum sententia definitiva absoluto; unde etiam in abolitione salva manet fama, quæ in aggratiatione præsupponitur amissa, nec semper restituitur. L. 7. C. de *sent. pass.* § *resist.* BÖHMER. ad *ff. tit. ad sc. Turpill.*

*pill. §. 6. seqq.* Nuncupari etiam solet Restitutio *tot. tit. ff. & C. de sent. pass. & restitut.* quæ tamen propriè est gratia Principis, qua hi, qui sententiam passi sunt, & verè pœnam promeritam adhuc sustinent, in priorem statum restituuntur. *L. 13. in fin. C. dist. tit.* Itaque locum habet in pœnis executioni datis, tractum tamen temporis successivum habentibus: ut exilii, carceris perpetui, vel ubi aliàs res potest redintegrari, ut in confiscatione bonorum; Aggratiatio è contra latius patet, & non tantum pœnam jam iam inflictam abolendam respicit, verùm etiam ejusdem impositionem antecedit; Illud interim ex natura rei patet, in pœnis, omnem restitutionem excludentibus, ut mortis, aggratiationem pœnæ impositione seu executione semper debere esse priorem. Conf. BÖHMER. *ad ff. tit. de sent. pass. & restit. §. 1. & 2.*

§. IV.

Quapropter *Jus Aggratiandi* hoc modo rectè definitur potest, quod sit publica & Legitima potestas, reis, sive delinquentibus, convictis aut confessis ex singulari clementia promeritas Criminales pœnas cum judicio & discretione vel ex toto vel ex parte remittendi. Quòd autem prolata Definitio èd Clarior evadat, dixi, quod jus aggratiandi sit potestas promeritas pœnas remittendi; ante omnia enim requiritur, ut pœnæ tales justè infligi potuerint; siquidem venia, ut SENECA, *in fin. librar. de Clement.* inquit, *debitæ pœnæ est remissio.* Quando igitur infantes, Furiosi, Noctambuli, homicidium aut aliud crimen committentes, nec non Homicidæ casuales, & similes nullâ afficiuntur pœna juxta *L. 12. ff. ad L. Cornel. de Sicar. L. 14. ff.*

de offic. Præsidi. L. 5. §. 2. ff. ad L. Aquil. L. 9. §. fin. ff. de L. Pomp. de Parricid. L. f. in f. ff. de Administr. tut. L. 3. §. 1. ff. de injur. Clem. un. de Homicid. CARPZOV. prax. Crim. p. 3. q. 143. n. 9. seqq. & quest. 145. n. 9. seq. FARINAC. Prax. Crim. p. 3. quest. 92. n. 46. seqq. vel quando ex imbecillitate, absque proæresi. Delinquentibus: ut ebrietate immodica obrutis, de quibus CARPZOV. dict. Q. 145. & FARINAC. dict. l. Q. 93. MAGER. de Advocat. armat. c. 17. n. 404. seqq. de crepita ætate defectis: TIRAQVEL. de pœn. temperand. caus. 8. Animi perturbatione laborantibus, nec non justâ Irâ concitatis, CARPZOV. dict. q. 145. & quest. 147. Aut ob alias causas ipsum delictum minuentes, de quibus principaliter agunt TIRAQVEL. & FARINAC. in Dd. Trr. de pœn. remittendis & temperand. SCHRÖTER in Diff. de Patrociniõ Homicidar. GLÆSER. de Grat. delinquent. fac. membr. 5. art. 86. GRANZ. Defens. Inquis. C. 6. membr. 2. & c. 3. m. 21. Pœna mitigatur, seu ordinaria minor ac levior imponitur, illud potius per justitiæ viam; quàm vi hujus juris aggratiandi fieri non dubito; Enimverò Magistratus, prædictis in casibus, non tanquam graciosus dispensator aliquid remittit, aut lege sese præbet clementiorem, utpote quod aliàs jure factæ aperto prohibitum. L. 14. C. de pœn. Nov. 82. C. 10. Sed tanquam legum executor, ut Lex præcipit, punit. Nam nulla lex ita in genete & in abstracto loquitur, ut non id, quod ultrò factum, distinguat ab eo, quod invito: & quod ex proæresi, ab illo, quod ex imbecillitate quadam, nimirum hæc sunt, quæ tum genus, tum speciem delicti constituunt. Sanè aliud esse, quod impetu, aut casu delinquitur: aliud, quod

quod consulto, sive ex proposito, disertis docet  
 verbis MARTIAN. in L. 11. §. 3. ff. de Pœn. adstipu-  
 latur VLP IAN. in L. 5. §. fin. ff. eod. Et CICERO  
 I. offic. de injuria. Inquit: per multum interest, utrum per-  
 turbatione aliquâ animi, quæ plerumquè brevis est, & ad  
 tempus: an consulto & cogitato quid fiat; leviora enim sunt,  
 quæ repentino aliquo motu accidunt, quàm ea, quæ meditata  
 & preparata inferuntur. Et ideo majora supplicia illis  
 decet imponere, qui consulto, per iram inter fecerunt; illis  
 contra, qui repente & inconsulto, leviora. PLATO 9. de LL.  
 Neque enim ait D. AMBROS. in Can. illa Cavenda. 6. Cau-  
 sa 15. q. 1. si per furorem aliquis innocentem peremerit, o-  
 bnoxius morti est; quin etiam divine Legis oraculo, si quis  
 per imprudentiam intulerit necem, accipit impunitatis spem,  
 refugiique facultatem, ut possit evadere. Deuter. 4. vers. 41.  
 & 19. v. 5. sqq. Nempe mala non sunt, nisi quæ cri-  
 mine mentem implicant; & conscientiam ligant.  
 Dict. Canon. illa Cavenda. Mens autem alienata furore,  
 cum sui compos non sit, eorum, quæ admittit, reatum  
 non contrahit, quia facultatem deliberandi non habu-  
 it. Hæc itaque & similia, accuratè examinare, non est  
 pœnam legibus præfinitam mitigare, sed delicta inter  
 se distinguere ac æstimare, ut quid deliquerit reus, &  
 cujus legis pœnæ obnoxium sese fecerit, sciatur, ne  
 quid durius, aut remissius constituatur, quàm causa  
 deposcit, monente MARTIANO in L. 11. pr. ff. de pœn.

Ex hoc igitur cognoscere licet, quàm malè pleri-  
 que justitiæ & clementiæ viam confundant; Nimirum  
 non distinguentes inter Epikiam, quæ legem rationa-  
 biliter

biliter interpretatur, & relaxationem sive dispensationem: Hæc enim legem probabili ex causa tollit, vel ejus vim suspendit; illa verò declarat factum ab initio, mente legis non fuisse comprehensum. GROTIUS *de jure B. & P. lib. 2. C. 20.* Hæc ad Regalia seu Majestatis jura refertur, ac è Throno clementiæ descendit: Illa è contra justitiæ pars est, & ad jurisdictionis executionem pertinet, ac consequenter inferioribus quoque Magistratibus merum saltem imperium habentibus, est permissa, imò potius præcepta. MEVIUS *ad jus Lubec. lib. 4. tit. 15. art. 1. n. 20.* Cæterum, cum jus Aggratiandi, facultatem *promeritas poenas remittendi* dixerim, etiam hoc exinde intelligi velim, id ipsum non ad futura, sed præterita tantum pertinere delicta; futurorum namque remissionem, utpote quæ ad delinquendum invitat; nequiquam valere, communis est DD. sententia; arg. *L. 27. §. 3. ff. de pact. L. 17. pr. ff. Commod. L. 5. §. 1. ff. de pact. dotal.* HVNN. *Colleg. Crim. Disp. 15. th. 24.* PETR. THEODOR. *Colleg. Crim. Disp. 10. th. 7. lit. C.*

Porro in definitione superius allatâ dixi: *Criminales poenas*, quod non in eo sensu capi velim, quo juxta LAVTERBACH. *Colleg. Theor. pract. tit. de poen. §. 7.* Secundum quorundam locorum mores, per criminales poenas intelligi solent, quæ corporis afflictivæ sunt, *peinliche Straffen/ die an Haut und Haar gehen.* CARPZOV. *pr. Crim. quest. 102.* sed potius, quo in jure nostro civili omnes poenæ, tam corporales, quæ delinquentis corpori infliguntur, quam pecunariæ, quæ fisco sol-

resilid

vun-



vuntur, criminalium nomine veniunt. *L. 2. ff. de publ. jud. HVNN. dist. loc. Diss. 6. th. 5.* Voluit equidem hoc aggratiandi Jus DAMHOVD. in *prax. Crim. C. 149. n. 5.* ad capitales & corporales pœnas restringere, cæterasque ab eò excludere; sed uti hoc simpliciter asserit, ita nullam dicti rationem adjicit; hinc, quin ad has quoque pertineat, nullatenus dubito. Civile itaque tantum interesse, quod privatorum respicit commodum, & agentibus adjudicatur, hic excluditur; hoc enim, cum nemini jus suum auferendum *L. 2. ff. de his, qui sui vel alieni jur. §. 2. Infl. eod.* Princeps remittere nequit; Et laudabiliter Principem facere, qui nec criminales pœnas remittit, antequam parti læsæ satisfactio competens præstita sit, scribit HEIGIVS *p. 2. q. 24. n. 18.* & regulariter partis offensæ remissionem præcedere debere, docet CARPZOV. de *L. Regia C. 9. Sect. II. n. 6.* Hinc etiam est, quod summus in Imperio nostro Princeps invito offenso, haud possit bannitum absolvere. *Land. Fried zu Worms de anno 1495. tit. Welche um Friedbruchs willen in die Acht kommen. ibi: Und welcher, oder welche, also durch Verwirfung in die Acht kommen, die sollen auch von uns darum nicht absolviret werden, dann mit Willen des Beschädigten, der oder die, brächten sich dann mit Recht daraus.* Atque hinc etiam laudat Duces Saxonix, Augustum ac ejus filium Christianum DAN. MÖLLER. *lib. 3. semestr. C. 31.* Quod in remissione criminis noluerint ullum læso afferre præjudicium, sed expressè remissioni adjecerint, suum jus quidem se homicidæ remittere, viduæ autem interempti se remittere nec posse, nec velle. Et licet Princeps Generaliter ac inde-

C

fini-

finité delicti veniam concedat; illa tamen ad præjudicium tertii, sive offensi regulariter trahi nequit, *arg. L. 2. §. 10. §. 16. ff. ne quid in loco publ. HEIG. d. q. 24. n. 20.*

## §. VII.

Uterius & illud observandum est, vocabulo hoc, *Criminales*, gratiosam hanc remissionem distingui à Civilium pœnarum remissione, quæ privatorum pactis fieri solet, & potest. Privatos enim privatorum delictorum pœnas, illorum commodum concernentes, non solum pactis, *L. 17. §. 1. ff. de pact.* Verùm & transactionibus remittere posse, satis Evincit Textus in *L. 54. §. fin. L. 56. §. 4. ff. de furr. L. 13. C. eod.* ad hoc scilicet; ut reus pœnâ Civili liberetur non verò, ut ejus fama integra conservetur; Delictum enim confiteri, & suâ ipsius sententia judicari, ac damnari intelligitur. *L. 4. §. fin. L. 5. L. 7. §. 3. ff. de his qui not. insan.* Accedit, quod Magistratus, privata hac transactione non obstante, in delictis præsertim gravioribus, adversus reum inquisitorie possit procedere. *CARPZOV. pr. Crim. p. 3. q. 148. n. 4.* Transactio enim privatum tantum concernit interesse; hoc verò publicæ vigor disciplinæ exigit. *L. 9. §. 5. ff. de Publ. §. vestigal.*

## §. VIII.

Præterea in propositâ definitione dixi: *Cum judicio & discretione.* Siquidem sine judicio in pœnis dispensans Princeps, non clementiæ virtutem exerceret, sed in lenitudinis vitium potius incideret. *LIPSI. lib. 2. Politic. Cap. 13.* Nimirum, ut in aliis rebus excessus plerumque in lubrico; moderatio in tuto, atque laude posita est; Ita quòque Principi media via hic incedendum; quæ

quæ aliàs quoque ut plurimum judicatur tutissima. Eleganter & accommodatè SENECA de Clem. l. i. c. 2. n. 4. Non vulgò, inquit, ignoscere decet, sed adhibenda moderatio est, quæ sanabilia ingenia distinguere à deploratis sciat. Nec promiscuam habere ac vulgarem Clementiam oportet, nec abscissam; Nam tam omnibus ignoscere, crudelitas est, quàm nulli veniam dare. Itaque prudenter temperanda est in Principe mansuetudo & Clementia, ne nimia indulgentia sceleratis audaciam, augeat, & bonis noceat, dum malis parcit, hocque modo juris Dispensatio fiat Dissipatio, aut ex gratia evadat injuria, & beneficiendo labefactetur justitia. Laudabilem hanc moderationem observavit laudatissimus Princeps Trajanus, cui mitis severitas & minimè Dissoluta clementia tribuitur à PLINIO in Panegy. LAVTERB. de lib. ad lib. 48. ff. th. 86. Cæterum quid Principi, aliisque hoc aggratiandi jure gaudentibus, inprimis hic veniat considerandum, ex infra dicendis apparebit.

§. IX.

Denique in Definitione adjeci: *vel ex toto vel ex parte.* Ut indicarem, æque aggratiationis speciem esse, si pœna ex parte remittatur, veluti gravior in leviolem commutetur, quàm si tota relaxetur; Equidem LAVTERB. Colleg. Theor. pract. ad rit. ff. de pœn. §. 31. ab aggratiatione differre statuit Mitigationem, qua non tota pœna, sed ex parte tantum remittitur, sicquè temperatur. Verum, si Mitigatio talis non ex causis justitiæ, legibus comprehensilis, sed ex mera Principis Clementia procedat, differentiam propriè dictam inter hæc duo non agnosco. Plus enim & minus non mutant rerum genera, ut docent Logicorum scholæ.

## CAPVT II.

*De subiecto, siue cui Jus Aggratiandi  
competat.*

## S. I.

**C**Um in superiori Capite expositum sit, quale sit Jus Aggratiandi quod breuiter declarandum sumpsi; proxima nunc merito subijcitur tractatio: quinam illam potestatem habeant, & jure exercere possint. Si enim quæramus an venia concessa valeat, aut concedenda valere possit; primo omnium animadvertere debemus; an concedens hoc veniam indulgendi jure gaudeat? Namque Gratia, seu delictorum venia, ab eo, cui hæc potestas non competit, concessa, ipso jure nulla est; adeo, ut illa non obstante, reus iterum accusari, aut contra illum in processu inquisitorio procedi queat. *FARIN. Prax. Crim. lib. 1. Conf. 53. n. 38.* Hinc reum quandam, à vasallo inferiore per gratiam relaxatum, nihilominus in ducatu Mediolanensi, cum gratiæ, diplomate collo annexo, suspensum fuisse, refert *FARIN. d. l. 1. Conf. 3. n. 1. seqq.*

## S. II.

Competit autem hoc jus *Aggratiandi* quibusdam jure proprio, & independenter: Aliis beneficio alterius. Proprio Jure competit omnibus illis; qui in quacunque republica summam tenent potestatem, siue Majestatem, quales sunt; qui nullum inter homines superiorem recognoscunt, & jura Majestatis suo jure exercent. *LANSIVS de L. Regiæ th. 47.* nam sicut primum id est, quo nihil datur prius; & proximum, quod nihil an-

tece-

tecedit: ita illud demum rectè summum dicitur, quo nihil superius est; Hinc summæ Potestatis, sive Majestatis hæc est natura, ut superiorem, sine implicatione contradictionis, nullo modo possit agnoscere. LAMPAD. de Republ. Rom. Germ. C. 3. n. 20. Hisce Regalibus seu Majestatis juribus, hæc pœnarum veniam reis indulgendi potestas rectè annummeratur. LANS. d. l. th. 103. BESOLD. *Class. i. Disp. polit. 3. th. 14.* FRAN. SCHMIER. *Jurispr. publ. univ. lib. 3. cap. 2. Sect. 3.* Nam quemadmodum Leges condere solo dignum est Imperio; L. f. §. i. C. de LL. ita legibus, delicta certa pœnarum genere coercentibus, derogare, æquè ad Imperii & Majestatis jura rectè refertur; ex uno namque & eodem fundamento, & leges ferendi potestas, & de illis dispensandi promanat facultas. MOLIN. de Just. & Jur. tom. 6. C. 57. Hinc nihil verius esse, quàm pœnarum remissionem soli Principi supremo, jure proprio competere, scribit HEIG. p. 2. q. 22. n. 6. Nimirum cum beneficia sint gratiosissima, pœnæ e contra odiosissima, quo Princeps omnem à se acerbitalis ac truculentia amoveat suscipionem: benignitatis & clementia eum amore subditorum consequatur laudem omnia ipsum beneficia tribuere ac concedere convenit. FORSTN. in not. ad lib. 2. annal. Tacit. Atque in tantum hanc pœnarum gratiam, ad summum spectare Principem, agnovit CAROLVS V. Imperator, ut, licet Senatui Mediolanensi potestatem ferè Regiam concederet, delictorum tamen veniam largiri reis peculiariter exciperet, suæque Majestati reservaret. BODIN. de Republ. lib. 1. C. 8. & 10. BESOLD. d. l. C. 4. th. 4. quod & Tiberius respexisse videtur, qui referente CARPZOV. pr.

*Crim. p. 3. q. 150. n. 18.* Asyla sustulit, ut gratia servatorum solis referretur accepta Principibus. Et apud venetos nulli Magistratui, ac ne Duci quidem, jus esse restituendi damnatos, sed toti Senatui, quem appellant *Consilio majori* hoc relictum esse, refert HVNN. in *Colleg. Crim. Disp. 10. th. 20.*

## §. III.

Cum de Majestate in præcedenti pauca attulerim, illud præterire non possum, nonnullos esse politicorum, qui soli imperatori & Regibus Majestatem adscribendam esse censent, uti videre est apud CHRISTOPH. MATTH. *L. 3. syst. pol. Exerc. 2. Sect. 6.* aliis è contra soli Imperatori Regibus exclusis, eandem propriè & strictè sic dictam attribuentibus. REINKING. *de R. S. & E. lib. 1. Class. 3. C. 11. n. 9.* utraqùe tamen sententia neutiquam subsistit; sed in omni perfecta Republ. dari Majestatem, ac proinde omnes quoque civitates, superiorem non recognoscentes Majestate propriè sic dicta instructas esse, cum saniori politicorum schola adserere non dubito; Et hoc etiamsi minima fuerit civitas cum LANSIO *de L. Regiæ th. 49.* Verum esse judico; Nec enim locorum amplitudo aut provinciarum numerus ad summæ potestatis, seu Majestatis essentiam quidquam facit; Nequè ex eo, quod quædam Republicæ Majestatis titulum sibi non vindicent; aut quod in Reecessibus Imperii non Majestatis, sed Regiæ saltem Dignitatis titulus, Regibus attribuat, veluti in *Recess. de anno 1527. §. und als die Wohlgebollrne II. item die Königlische Würde von England & §. und als auf gehaltenen Tag die Königlische Würde in Hispanien. 17. &c.* certi quid concludi potest; vis enim  
Ma-

Majestatis non in nudo titulo ac nomine, sed in ipsa posita est potestate, nequè extranei Principes ex eo, quod in Germaniæ ordinationibus conscriptum, jura potestatis suæ mensurari patientur; *WVRMSER. Exercit. jur. publ. 3. q. 2.*

§. IV. Ut à genere ad speciem decendam, primo in Imperio nostro loco jure merito recenseri debet Augustissimus Imperator; & veteribus quidem Romanorum Imp. jus Aggratiandi, proprium fuisse certissimum est. Cui enim tot exempla, tot testimonia, in jure nostro extantia, non sufficerent? *Conf. L. 4. in ff. de poen. L. 10. C. de Sent. pass. L. 45. §. 1. ff. de Re judic. L. 7. C. de precib. Imp. offer.* Cum verò modernus Reipublicæ Germanicæ status ab illo antiquo Romano multum differat, & Ordines Imperii nostri quo ad Exercitium præcipuorum Majestatis jurium sint in Consortium vocati; uti hoc ex fundamentalibus Imperii nostri Legibus, ac imprimis Imp. Capitulationibus constat; Hinc in Disquisitionem vocari solet: *An hodierni Imp. Jure Aggratiandi gaudeant, illudque absque statuum, aut Electorum consensu exercere possint?* obtare equidem videtur, quod secundum eà, quæ supra §. II. dicta sunt, potestas contra Leges dispensandi ejus demum esse dicatur, qui sancienti, & promulgandi eas facultatem habet. At verò in hodierno Imperii statu, Potestas Imperio, ejusquè subditis, Leges præscribendi, Imperatori non nisi cum consensu Ordinum competit. *Instrum. pac. Osnabrug. arr. 8. §. gaudeant.* Ut exinde & statuum quoque consensus, in concedenda hæc Gra-

Gra-

Gratia, necessarius esse videatur. Verum, hisce nihil remorantibus, adhuc hodie Imperatoris Majestati hoc Aggratiandi jus omnino proprium esse, nec ad ejus exercitium consensum Ordinum desiderari, longe verius esse judico. Siquidem nullibi hæc Imperatoris potestas restricta legitur, cum tamen cætera Majestatis jurâ, ad quorum exercitium Imperii Ordines admissi sunt; Aut in Aurea Bulla, aut Capitulationibus Cæsarium, aut aliis Imperii Legibus expressa, atque definita reperiantur. Accedit, quod Imperatores per longum usum hoc jus exercuerint; & quamvis absque statuum consensu Leges universales condere nequeant; quin tamen jus singulare seu privilegia, nisi jus & utilitatem Reipublicæ concernant aut lædant, absque statuum consensu quotidie concedant, & hætenus concesserint, infinita exempla, nec non varia Dd. Testimonia manifestè confirmant. HERMES in fascicul. jur. Publ. C. 11. n. 76. BOECLER. Notit. Imp. L. 4. c. 1. SCHWEDER. Jur. Publ. Parr. spec. sect. 1. C. 10. §. 4. VITRIAR. lib. 3. tit. 2. §. 12. §. 17. Et hoc sine dubio illis in casibus procedit, ubi super Crimine quodam soli Imperatori cognitio, ac puniendi Potestas competit; BERGER. Oeconom. jur. Lib. I. tit. 2. §. 14. Nota 4. LANGGVY. in Animadvers. in Coccej. prudent. jur. publ. ad Cap. 23. §. 8. n. 3.

Cum verò Imperator contra aliquem præsertim ex Imperii statibus, propter delictum jus decernendi Banni non habeat, sine collegiali Electorum consensu, juxta Capitulat. Leopoldi art. 28. Imo secundum novissimam Capitulat. Caroli VI. art. 20. non nisi communi statu-  
tuum



tuum consensu in Comitibus publicis sententia Banni proferri possit; Hinc non immerito quaeritur: Num Imperator VI. juris restituendi famam, statum Imp. in bannum declaratum solus eximere, & juri ac honori restituere possit? an vero sicut in declaratione, ita & in relaxatione ejus, statuum Consensum adhibere habeat necesse? Equidem Protestantium religioni addicti status desiderarunt in Monitis ad Capitul. Leopold. anno 1658. d. 27. April. exhibitis ad art. 28. ut ei sequentia insererentur: Das hinführo kein Chur-Fürst, Fürst, oder Stand des H. Reichs ohne gnugsame Ursach, und ohne Vorwissen, Rath und Bewilligung gesamter Stände in die Acht, und Ober-Acht gethan, gebracht oder erklärt, und hinwieder aus derselben erledigt, genommen, oder gesprochen werden solle etc. Verum quoad passum relaxandi banni neque, in dict. Capitulat. Leopold. neque in novissima Caroli. Desiderii sui effectum impetrarunt. Proinde mihi verior videtur opinio, quod Imperator solus, in bannum declaratum eximendi jus habeat; Nam omnia illa Majestatis jura Imperatori sunt, manentque propria, in quorum communionem ordines Imperii per capitulationes, Recessus, aliasque Imperii constitutiones non sunt intrinseci; quia itaque communio, quæ facti est, in casu præsentis probari nequit, præsumptio stat pro Cæsare; præsertim, cum Imperii status ab initio, fuerit purus, idemque in iis, quæ non sunt mutata, præsumatur. Mixtus autem facti sit, & strictæ interpretationis. Nec obstat illa juris regula, juxta quam nihil tam naturale habetur, quàm eo modo unum quodque dissolvi, quo Colligatum est; ut proinde, cum sententia banninon-

D

nisi

nisi communi Procerum approbatione dictari valeat; collecta à contrariis arguendi ratione, etiam non aliter, quam illorum consensu relaxari possit; Etenim ista à contrario arguendi ratio à iustitia ad Gratiam, in præfenti ea propter locum habere nequit, quia inter casum condemnationis, & restitutionis manifesta apparet disparitas: Siquidem idcirco status Imp. contra sententiam Imperatoris condemnatoriam sibi prospectum esse voluerunt, quia ipsorum vel maximè interesse poterat, ne forte subinde necdum satis auditi, aut sine justa causa, cum maximo sui præiudicio ac damno, funestam proseriptionis sententiam, solo Imperatoris arbitrio subire cogantur; Cum è contra restitutio in integrum merus sit favor, puram gratiam ac commodum involvens, in quo, ut Imperatoriæ Clementiæ ac potestati limites ponerentur, nulla ratio stiafit. Quod si tamen propter aggratiationem, alicui ex Imperii statibus, cum cæterorum consensu condemnato, nunc concedendam, Imperium perturbari, ac motibus periculosis implicari possit: Si quis tunc Procerum quoque requirat consensum, illi haud repugnarem, sed potius adstipularer, motus Capitulationibus Cæsarum, quæ in omnibus magni momenti Causis, principaliter publicam Imperii interesse concernentibus, so das Reich betreffen / Electorum, aut omnium statuum consensum requirere videntur. *Capitulat. Noviss. Caroli VI. art. 11. in fin.*

§. VI.

Alia insuper occurrit quæstio: *utrum scilicet Imperator Jus Aggratiandi in statum Territoriis exercere, ac delinquenti, ut in priori Domicilio impune maneat, Gratiam*  
con-

*concedere possit.* Pro Negativa sententia militare videtur ratio ista, quod status Imperii in concessis sibi Regalibus privatim, non autem cumulativè sint investiti, nec in exercitio jurisdictionis impediendi sint. *BOCER. de Jurisdic. C. 8. n. 89.* In quam opinionem inclinatur *HERMES in fascicul. jur. publ. Cap. 11. n. 123.* Ubi tamen addit, hoc ipsum altiore desiderare indaginem juxta *BESOLD. de Jurib. Majest. C. 4. n. 4.* Affirmativam è contra amplexus est *LANGGVT. in Animadvers. in Coccej. prud. jur. publ. ad Cap. 23. §. 8. n. 3.* Quanquam enim potestas gladii, sive merum Imperium statibus absque provocandi seu appellandi facultate datum sit. *O. C. p. 2. tit. 1. §. tit. 28. §. 5.* *SCHWEDER. in Jur. publ. part. spec. Sect. 1. c. 13. §. 11.* id tamen per dispensationem Imperatoris violatum dici nequit, quippe qua non causæ cognitio & sententiæ dictio, sed effectus hujus solum, salva jurisdictione alta eorum, quibus concessa, per Gratiâ superioris, justis ex causis impertitam, suspenditur; quemadmodum in simili nec imperium merum, Nobilibus mediatis per modum feudi concessum, imminuitur, si quando à concedente superiore poena ab ipsis dictata per dispensationem mutatur. Quanquam autem in hac quæstione arbitrium decidendi mihi non arrogem, non ignarus quàm temerarium sit, de hujus generis controversiis privato ausu pronuntiare, affirmativam tamen sententiam verò magis consentaneam esse existimo.

§. VII.

Quemadmodum autem non vacante solo Imperio, aut Imperatore jam demortuo, sed illo etiam vitam

III. 2

D 2

ad

ad huc ducente, & Imperante Rex Romanorum quandoque eligitur; quod consentiente Imperatore, imò & non nunquam eo invito fieri posse, Capitulationes Cæsareæ probant; Cum quo conveniunt verba Capitulationis Augustissimi regnantis Imperatoris CAROLI VI. art. 3. *ibi*: Mit oder ohne des regierenden Römischen Käyfers consens, wann derselbe auf angelegte Bitte ohne erhebliche Ursach verweigert werden solte, vorgekommen. Ita disquiri solet: utrum Rex Romanorum, Imperatore lucis usurâ adhuc fruente electus, hanc Aggratiandi potestatem habeat? quod regulariter negandum videtur, quia nondum ipsi administratio Regni est commissa. REINKING. *de R. S. & F. L. 1. Class. 3. Cap. 14. n. 46.* CARPZOV. *de Lege Reg. C. 11. Sect. 5. n. 15.* Unde & ipsi Majestas actualis denegatur. WYRMSERI. *Exercit. jur. publ. 3. quest. 3.* Cum & Imperatorem ut superiorem recognoscat, ipsumque Dominum suum appellet. *Recess. Imper. de anno 1555. §. solches alles und jedes. 143. ibi*: Die Käyserliche Majestät unsern lieben Bruder und Herrn ic. Quatenus tamen Rex Romanorum, absente Imperatore vel impedito, ejus dum vires gerit, *dicit. Recess. Imp. §. und sollen in oberzehlten Fällen. 64.* eatenus, illum hanc quoque potestatem exercere posse, dubitandum non est. *Recess. Imp. de anno 1542. §. Die Käyserl. Majest. und wir. item de ao. 1544. §. Wir und unser freundlicher lieber Bruder ic.* Qui textus ad casum absentiae Imperatoris rectè referuntur à LIMNÆO *de Jure publ. Lib. 2. C. 15. n. 40.* Etenim illorum tunc omnia, quæ ab ipso Imperatore præsentè peragenda forent, facere posse testatur REINKING. *de capit. 14. n. 48. §. 63.*

§. VIII. Cæterum cum vacante ab Imperatoribus Imperio, ob moram longiorem, quæ in novo eligendo Imperatore non nunquam intercedebat, & ne tempore inter regni Respublica ad instar navis, Rectore destituta, detrimenti quid patiatur, ad certos Vicarios, Comitem nim. Palatinum, Rheni, & Ducem Saxonix Electores, Cura Regni saluberrimè sit delata, *A. B. Cap. 5.* Et illos hoc jus Aggratiandi habere, rectè dicitur: potestas namquè illorum in non prohibitis & specialiter exceptis, cum potestate ipsius Imperatoris, tere est æqualis, adèd, ut quoties sacrum vacare contingat Imperium, illi omnia Imperatoris Jura, quamvis in *A. B. d. l.* non expressa, dummodo non specialiter inveniuntur prohibita, & in specie quoquè ea, quæ *Dd. Gratiola* dicuntur, exercere queant. *BYXTORFF. ad A. B. Cap. 5. th. 71. §. 73. ARVM. ad B. discuss. 5. th. 7. SCHÜTZ v. l. Disp. 5. th. 12. SCHWEDER. Jur. publ. part. spec. sect. 1. Cap. 33. n. 8. frustra dissentiente VITRIARIO Inst. Jur. publ. lib. 3. tit. 7. §. 9.* Controversiam verò illam gravissimam, quæ post pacem Westphalicam Serenissimos inter Electores Bavarum & Palatinum anno 1657. de vicariatu agitari cæpit, de qua vid. *SCHWEDER. d. l. BVCKISCH ad Instrum. pac. Osnabrug. art. 4. obs. 4. §. 15.* hic consultò prætereò, tum quia ab instituto meo longius abit, tum quia meum non est, litem hanc dijudicare, qui didici, de iis non disputare, qui possunt amputare, nec scribere, qui possunt proscribere.

§. IX.

de Alterius beneficio hanc Aggratiandi potestatem ha-

habent illi, quibus ab eo, penes quem summa in Repu-  
 blica potestas residet, tacite vel expresse est concessa, ve-  
 luti in nostro Imperio vi superioritatis Territorialis om-  
 nines status, siue Ordines Imperii obtinent; siquidem ju-  
 ri Territoriali, non jurisdictionalia tantum insunt, me-  
 rum scilicet & mixtum imperium; seu secundum hodi-  
 ernam consuetudinem superior & inferior jurisdictio:  
 sed multa quoque Majestatis, seu Regalia jura, quae in  
 ipsa Imperatoris Capitulatione, non Electoribus solum,  
 sed caeteris quoque Principibus ac statibus confirmantur,  
 uti videre licet non tantum in Antiquioribus, sed &  
 in *Capitulat. novissima Caroli VI. art. 1. & 2.* quanquam au-  
 tem varia insignum supremae Eminentiae, Imperatori  
 sint reservata: quintamen hoc poenas remittendi, seu  
 Aggratiandi jus superioritatis seu Territoriali juri cohæ-  
 reat, & omnibus jus Territoriale habentibus competat,  
 nullus dubito, attestantibus hoc ipsum MYLER, *de Princip.*  
*& Stat. Imper. Cap. 50. n. 13.* SCHWEDER, *part. spec. Sect. 2.*  
*Cap. 14. §. 4.* VITRIAR. *Inst. Jur. publ. lib. 3. tit. 16. n. 112.*  
 LIMN. *de jur. publ. lib. 4. C. 8. n. 269.* KNICH. *de Jurè terrir-*  
*ror. C. 3. n. 244.* & generaliter ab omnibus Imperii stati-  
 bus, hoc summum Imperii munus practicari, neminem  
 latere, inquit BESOLD. *de Civit. German. part. 1. C. 7. th. 20.*  
 Unde CARPZOV. *prax. Crim. part. 3. q. 150. n. 26.* Scabinos  
 Lipsienses nunquam dubitasse refert, jura territorialia  
 habentes, reis gratiam facere, & poenam vel mitigare,  
 vel remittere posse. Hinc passim apud CARPZOV. *disq.*  
*prax. Crim.* in illorum præjudiciis legitur: *Wosern die*  
*hohe Obrigkeit/ oder Lands- Fürstliche Obrigkeit des Orts/*  
*dem Gefangenen nicht Gnad erzeigen wolte.* Nequè ab  
 hoc

hoc Aggratiandi, siue pœnarum veniam concedendi jure, civitates Imperii immediatæ sunt excludendæ. CARPZOV. *d. l. q. 150. n. 19.* KNIPSCHILD. *de Civit. Imper. lib. 2. Cap. 27. n. 1. sqq.* adstipulatur HVNN. *Coll. Crim. Disp. 15. th. 21.* illudquæ à dictis Civitatibus quotidie practicari, refert. quamvis enim superioribus annis res, velut nova minusquæ audita Principibus erat, dicere civitates *status imperii*, teste LEHM. *in Chron. spirens. lib. 4.* unde & KNICH. *diff. tr.* illis territorii vel superioritatis jura ausus est denegare; verum per *Instrum. pac. Westphalicæ art. 5. §. 29.* res penitus definita, ipsasquæ civitates Imperii liberas sub appellatione statuum Imperii ubiquæ contineri decisum est.

§. X.

Cæterum etiam aliis, qui status Imperii non sunt, potestatem Aggratiandi, per Præscriptionem temporis cujus origo memoriam excessit, vel cujus initii memoria non extat, acquiri posse eò minus dubito, quo certior & in camera quoque imperiali sæpius comprobata, nec non per eò infinitis Dd. Testimoniis comprobata est sententia, quod temporis immemoralis præscriptione, quæ privilegii, ac expressæ concessionis vim habet, Regalia acquirantur. BOCER. *de Regal. C. 4.* GAIL. *lib. 1. obs. 21. n. 15.* & *lib. 1. de P. P. C. 6. n. 11.* CARPZOV. *part. 2. Const. 53. def. 1. n. 13.* ARVMÆ. *Disp. feudal. 4. th. 21.* ZANGER. *de Except. part. 3. C. 8. n. 65.* quod autem in specie, ad hujus aggratiandi Juris præscriptionem, cursus immemoralis temporis tequiratur, satis superquæ demonstrat FARIN. *prax. Crim. part. 4. lib. 1. Consil. 3. n. 7.* Cæterum quodnam temporis spatium hoc immemoriali tempore propriè

priè denotetur, inter Dd. nondam convenit: Sunt enim, qui ad illud probandum centum annorum requirunt probationem, uti HAVNOLD. BACHOV. REINKING. citati à LAVTERB. *Colleg. Theor. pract. tit. ff. de Usurp. §. usi cap. §. 44.* Verum cum hi Centum annorum & temporis immemorialis præscriptionem confundant, cum tamen tempus Centenarium & memoriam excedens, unum idemquè non fiat. GROT. *de Jur. B. & P. lib. 2. C. 4. n. 7.* illorum sententiæ subscribere nequeo. Enim verò in centenaria præscriptione Centum anni necessario veniunt probandi, nihilquè refert de tempore, quo, & quando quid initium cœperit, constet, nec ne. At in præscriptione immemoriali, nec semper sufficiunt, nec necessarij semper sunt centum anni; Accidit nimirum quandoquè, ut memoria ab 80. aut 90. terminetur annis. CARPZOV. *p. 1. C. 16. def. 74. n. 13.* Et licet, rei veritate inspecta, minus centum annis spatium sit præterlapsum, si tamen de facto & rei initio nulla extet memoria, testesquè secundum LABEONEM in *L. 28. ff. de probat.* deponant; se nec vidisse, cum id opus fieret, nec ex eis audivisse, qui vidissent, aut audivissent: Præscriptionem tamen eo in casu impletam esse indubiè assero; è contra etiam si centum quis probaret annos, si tamen de rei initio memoria adhuc extaret, illos ad hanc præscriptionem haud sufficere certum est. LAVTERB. *dict. loc.*

§. XI.

Econtrario inferiores iudices atquè Magistratus, mero Imperio, sive Jurisdictione superiori tantum gaudentes, quibus ab Eminentiori quadam potestate hoc Regale jus Aggratiandi, tacitè vel expressè non est concess-



cessum, delictorum veniam Reis facere, poenasque iisdem remittere haud quaquam possunt. Hinc quamvis in nonnullis civitatibus Magistratus inferiores potestatem gladii habeant, & Nobiles quidam aut Barones Imperio mediatae subiecti, cum Jurisdictione inferiore & superiore a statibus Imperii ut plurimum investiantur; Regalia tamen nunquam, aut rarissime consequi, sed status in eorum feudis sibi solent reservare; & habent quidem praedicti inferiores Magistratus vi competentis jurisdictionis superioris seu criminalis potestatem de Criminibus judicandi, atque secundum modum a Legibus praescriptum coercendi: Verum ut poenam Legibus definitam, aut remittant, aut minuant, hoc sane illorum excedit potestatem. TIRAQV. El. de poen. temper. praefat. n. 2. seqq. Hocnamque haud esset, secundum Leges judicare, atque crimina punire; sed contra Leges agere, de illis dispensare, iisque derogare: quod plane ad aliam & speciem quidem diversam, illisque vi jurisdictionis omnimodae minime competentem pertinet potestatem. Nec obstat quod secundum *L. 3. ff. de Re judic.* qui damnare potest, is absolvendi quoque potestatem habeat. Etenim haec Regula de causa quadam justitiae, absolutionem Rei exigente, tantummodo intelligi debet. Hinc MARCIAN. in *L. 1. §. 4. ff. ad sc. Turpill. inquit. Facti quidem questio in arbitrio est judicantis, Poenae vero persecutio non ejus voluntati mandatur, sed legis auctoritati reservatur* & in genere praecipit Imp. JUSTINIAN. in *Nov. 80. Cap. 10. ne Judex sit clementior lege, aut ipsis Legibus Severior*: Eleganter sane & accommodate SYMMACH. *lib. 10. Epist. 63. inquit: Alia est conditio Magistratum,*

E

quo-

quorum corruptæ videntur esse sententiæ, si sint Legibus mi-  
 riores: Alia Divorum Principum potestas, quos decet acri-  
 moniam severi juris inflectere. Nimirum ejus est derogare  
 legibus, & de illis dispensare, cujus est legem ferre:  
 Et quamvis statuta condendi potestas, inferioribus quo-  
 què Magistratibus dicatur competere; contra Leges tam-  
 en publicas absquè superioris consensu nihil valetit  
 disponere. SCHVIZ. *synops. Instit. de I. N. G. & Civ. lit. h.*  
 nequè Jurisdictionalia cum Regalibus, quibus Jus Ag-  
 gratiandi rectè annumeratur, sunt confundenda. CARR-  
 ZOV. *prax. Crim. p. 3. q. 150. n. 51.* unde in *L. 3. C. ne sanct.*  
*Baptisim. iteretur.* dicitur: Nulli Judicum liceat, delatum  
 ad se crimen minori aut nulli Coercitioni mandare, nisi ipse  
 idem pati velit, quod aliis dissimulando concessit. Hinc Carol.  
 I. Rex Siciliae, suspendi judicem jussit, qui reum suspen-  
 dio dignum, ad manus tantum amputationem conde-  
 mnaverat. HEIG. 2. q. 22. n. 18. PEREGRIN. *de Jur. fisc. lib. 4.*  
*C. 8. n. 23. seqq.* Atquè hæc in tantum procedunt, ut,  
 si judices semel sententiam dixerint, eam nequidem ex  
 causa innocentiae postea repertæ, inconsulto Principe,  
 mutare valeant. *L. 1. §. ult. ff. de question. L. 27. pr. ff. de*  
*Rei.* quod tamen hodie Magistratibus, Criminali Ju-  
 risdictione gaudentibus facilius tribui solet, si error evi-  
 denter, Reusque innocens appareat. BOHMER. *ad ff. de*  
*sent. Pass. & restit. §. 3.* BRUNNEM. *ad dict. L. 27. in fin.*  
 Ex antè dictis facile quoque judicare licet, Judicem  
 seu Magistratum Inferiorem, merum tantum Imper-  
 rium habentem, Reo impunitatem, ut delictum fatea-  
 tur, promittere non posse; Quod si verò nihilominus  
 ejus-

ejusmodi promissio facta, & Reus per illam ad confitendum crimen inductus fuerit; confessionem istam ad condemnationem poenae saltem ordinariae, minimè sufficere prolixè tradit FARINAC. *Qu. 81. n. 76.* Neque approbare possum sententiam, quam LVDOVICI Einleitung zum peinlichen Process. c. 5. §. 9. Cum FINCKELTH. *ibid. cit.* tenet, scilicet iudicem, si sub promissione impunitatis confessionem criminis à reo obtinere possit, prudenter agere, huncque ipsam actum pro dolo bono aestimandum, & reum nihilominus poenae promerita afficiendum esse. Siquidem vanus potius & mendax talis iudex est habendus, qui id promittit, quod suae potestatis & arbitrii non est. Et cuius promissionis fidem datam implere nequidem cogitat. BRYNNEM. *in process. inquis. C. 8. membr. 1. n. 53.* Plura de hac impunitatis vel poenae mitigationis promissione, per iudicem inferiorem facta, legi merentur apud CARPZ. *prax. Crim. p. 3. quest. 146. à n. 1. usque n. 22.*

Quæ huc usque de inferiore Magistratu, ipsique non competente Jure aggratiandi dicta sunt, non solum de totali remissione, sed de partiali quoque, seu mitigatione poenarum accipienda esse, ex *cit. L. 3. C. Nefand. Bapt. iteret. satis constat.* Conf. *L. 8. §. fin. C. de vi publ. & pract.* Cuiusmodi Criminalis tantum competit Jurisdictionis, is mortis supplicium, in mitiorem, fustigationis scilicet, relegationis, carceris, aut pecuniariam poenam minimè poterit commutare. WEHNER. *Obs. pract. voc. cent.* Eadem ratione poenam mortis severiorem, lege expressa determinatam, puta ignis, rotæ, suffoca-

tionis in aquis, suspendii &c. In aliam mitiorem mortis, v. g. gladii poenam, haud quaquam potest convertere; esset enim alias Clementior lege. Contra *Nov. 82. C. 10.* imò contra leges ageret, de iis dispensaret, & sic competentis Jurisdictionis fines manifestè excederet. *L. 1. §. 4. ad Sc. Turpill. L. 15. pr. ff. de pœn.* Itaque hanc poenarum alterationem, seu mitigationem; æque de Regalibus, ac ipsam totalem remissionem esse existimo. Proinde de pœnis non Capitalibus remittendis aut mitigandis v. g. fustigationis, relegationis, carceris, non sane diversum, sed idem de jure statuendum esse arbitror; siquidem supra allegatæ Leges, & adductæ rationes hic quoque inveniunt locum; Nam qui fustigationem Lege præfinitam remittit, aut in pecuniariam convertit, quomodo minus contra legem agat, aut Lege se præbeat clementiorem, ac ille, qui de Capitali aliquid remittit, haud valeo perspicere. Et in hanc sententiam Nobili cuidam, merum & mixtum Imperium habenti, quod scil. fustigationis poenam in pecuniariam convertere non possit, responsum esse, refert *HEIG. lib. 2. quest. 22. n. 23.* In terris tamen Electoris Saxonici magistratibus inferioribus, criminalem Jurisdictionem habentibus, hæc poenas non capitales mitigandi, & v. g. poenam fustigationis in simplicem relegationem probabili causâ suadente, mutandi potestatem competere, testatur *CARPZOV. prax. Crim. tit. q. 150. n. 75. seqq.*

Cæterum prædicta omnia de gratiosa poenarum remissione, aut mitigatione, ex jure nimirum Aggral-  
 -on  
 S H  
 tian-

tiandi proveniente tantum intelligenda sunt; Etenim quin iudices Criminale Tribunal exercentes poenam, ordinariã & legibus determinata mitiorem, aliquando per viam iustitiæ possint, imo debeant imponere mihi certè indubium, & jam jam supra *Cap. I. §. IV.* pluribus insinuatum est. Furioso namque, infanti, aut casuali homicidæ, si nullam; Culposo verò ordinaria minorem iudex imponit poenam, justam sanè & in coercitione observandam proportionem observat; nec contra leges quidquam agit, neque lege est Clementior, sed id, quod leges jubent, exequitur, proin potestate sibi competente debito modo utitur. Nam poenæ, ipsa hoc iustitia efflagitante, iusta ratione delicti commensurari, illiusque qualitati debita correspondere debent proportionem, ita, ut qui plus deliquit, gravius, qui minus, levius coerceatur, semperque inter delictum & poenam iusta attendatur æqualitas. *L. 11. pr. ff. de pœn.* Interim tamen iudici probè perspiciendum est, ut in hisce casibus, quibus justam aliquam, ipsumque delictum imminuentem ob causam, pro ordinariã mitior venit imponenda, non statim capitalem, in pecuniariam convertat poenam. Dantur enim & aliæ poenæ, quibus Reus, cessante poena capitis, extra ordinem mitius puniri poterit; & exemplo sanè est perniciosum, remissa poenâ capitis, nonnisi pecuniarias poenas reis infligi, quippe cum hoc iudicibus in alienis grassandi facultatibus occasionem præbeat, uti prudenter monet ANTON. MATTH. *de criminib. ad lib. 48. ff. tit. 18. C. 4. n. 12.* Ubi quoque SFORT. ODD. recte reprehendit iudices, qui ut plurimum poenam mortis convertunt in

pecuniarum, non ut ætati, aut culpæ veniam dent, sed ut crumenas loco Capitis evacuent. Consentit VALENTIN, WINTHER, in *parthen. litig. lib. 1. C. 14. n. 2.* Ita scribens; Hoc malitioso sæculo Criminalistæ non absimiles Chirurgis, qui ut multis hominum, vulneribus, ita hi plurimis subditorum delictis gaudere solent, facilem nacti spoliis alienis penus suam locupletandi occasione, unde in multis indicendis lætantur & impie dicunt: Es haben dieses Jahr über die Brüche/ oder Geld-Bußen/ Gott sey Lob und Dank/ ein Ehrliches ertragen.

## §. XV.

Magistratus inferiores, poenas promeritis remittendi, aut mitigandi jure haud gaudere hactenus dixi; quod tamen cum grano salis accipiendum, quia unam & alteram limitationem recipere videtur. Et primò quidem, in casibus illis, in quibus lex ipsa hoc concedit: cuius exemplum legimus in *L. 37. §. 1. ff. de Minorib.* ibi, *nisi quatenus interdum miseratio ætatis ad mediocrem poenam judicem produxit.* Ad hanc namquæ mitigationem intuitu minoris ætatis faciendam, non per viam Justitiæ judicem adstringi: sed illam ex commiseratione & gratia tantum fieri posse, ostendit, & contra communem Dd. opinionem probat CARRZOV. *quest. 143. n. 59. seqq.* id quod scabini Lipsienses in suis ibidem subjunctis responsis indicant: Und ist dem Rath zu Torgau die inquisito zu erkandte Straff des Rades/ von wegen seiner Jugend zu lindern/ und ihn mit dem Schwert richten zu lassen/ unbenommen & in alio contra Reum, qui nec dum 18. annos compleverat, concepto: so möchte er solchen seiner begangenen  
Deu

Denken und Kirchen-Raubung halber/ mit dem Rad von Le-  
ben zum Tod gerichtet werden; Man wolte ihm dann in Un-  
sehung seiner Jugend/ Gnade erzeigen/ auf solchen Fall wür-  
de er mit dem Schwerdt von Leben zum Todt gerichtet/ und  
gestraffet. Secundo limitatur: si ex illorum statutis pœ-  
ne aliqua veniat imponenda: Etenim illam non tantum  
in totum tollere possunt, sed & mutare ac mitigare.  
Hinc Dd. communis tenet sententia, quod, licet civi-  
tates & Collegia contra infamiam, jure communi im-  
positam, non possint restituere; famam tamen, ex illo-  
rum statutis imminutam, restituere haud prohibeantur.  
LIMNÆ. de jure publ. lib. 4. C. 8. n. 303. MEV. ad Jus Lubec.  
L. 4. tit. 15. arr. 1. n. 9. Hinc studiosos relegatos, à Recto-  
re ac Senatu Academico non raro restitui, ac in nume-  
rum studiosorum recipi, vulgaris testatur observantia;  
Idquè in Jenensi universitate observari tradit THEODOR.  
in Colleg. Criminali Disp. 10. th. 7. lit. b. Et ex Wittenber-  
geni Academia relegatum & exclusum, post aliquot an-  
nos, abolitâ per restitutionem infamiâ, in quam per ex-  
clusionem inciderat, fuisse restitutum, refert HEIG.  
part. 2. Quest. 22. n. 43. ZIEGLER. de jur. Majest. lib. 1. C. 9.  
n. 1.

### CAPVT. III.

#### *De objecto, sive materia juris Aggratiandi.*

##### §. I.

**C**onsideratis huc usquè personis, quibus Aggra-  
tandi jus competit, ordo nunc ad objectum,  
circa quod illud versatur, contemplandum me-  
deducit. Hoc autem ex definitione superius Cap. I. §. 4.  
tra-

traditâ, haud obscurum est,; Dixi enim ibidem, Jus Aggratiandi legitimam esse Reis *promeritas Criminales* pœnas remittendi potestatem. Ex quo objectum juris Aggratiandi, quod *pœna promeritæ* constituunt; manifestum redditur.

## §. II.

Unde non immeritò disquiri solet, an Princeps cujusvis pœnæ gratiam Reo facere possit? atquè in primis in eo non omnes concordant; sed gravissima est Quæstio: *Utrum supremus Princeps, aut status Imperii jus Aggratiandi possint exercere in delictis illis, quibus in Lege Divina veteris Testamenti pœna Capitalis est præfixa; quale est Homicidium; quod Gen. 9. v. 6. Levit. 24. v. 17. Exod. 21. v. 12. morte puniri jubetur.* Si consulo Ictos protestantium Religionî addictos, plerique negativam defendunt sententiam, dicentes, in criminibus, quorum turpitudine ex jure Naturæ constat, & quibus ideo Deus summus legislator mortis supplicium determinavit, Principes dispensandi potestate esse destitutos, inter quos sunt, HEIG. p. 2. q. 24. n. 42. CARPZOV. p. 3. q. 150. n. 31. seqq. REINKING. in *soep. cit. rr. lib. 1. Class. 5. Cap. 6. n. 206.* VITRIAR. *Inst. Jur. publ. lib. 3. tit. 17. n. 114. seqq.* PFEFFINGER. *ibid. ad. n. 112. lit. a.* SCHWEDER. *Jur. publ. part. spec. sect. 2. Cap. 14. §. 6.* STRIK. *de Absolut. Princip. C. 3. n. 33.* MYLER. *de Princip. & Stat. Imp. p. 2. c. 50. n. 15.*

## §. III.

Rationem pro hac sua negativa sententia assignare solent: partim, quia hæc pœna non solum in homicidas judæos, sed universim in omnes homines, hominem occidentes, à Deo statuta, & pœna mortis in prima & antiquis



tiquissima lege, de vindicandâ occisi nece, unica expiationis forma posita esse videtur. *Gen. d. Cap. 9. vers. 6. ibid. quicumque effuderit, humanum sanguinem fundetur sanguis illius. ad imaginem quippe Dei factus est homo:* juncto *Numer. C. 35. v. 16. 20. & 33.* partim, quia dictamen Naturale præcipere videtur, ut, qui ex enormi malitia vitam alicui adimere non est veritus, poenam Talionis sustineat; Cum alioquin cæteris, ne & ipsi talia patiantur, satis prospectum non sit. partim, quia in hoc delicti genere commiseratio nominatim prohibetur. *Numer. C. 35. v. 31.* & homicidium dolosum qui commiserunt, asyloꝝ jure non gaudebant, sed ab Altari Domini avelli & occidi jubentur. *Exod. C. 21. vers. 14.* unde sic arguunt: Inferior non potest abolere Legem superioris, prohibentis misericordiam cum homicidis, & sanguinem pro sanguine reposcentis; Ergo neque Principes, homicidii dolosi reo, poenam capitis in divinis Legibus statutam remittere possunt, sed deo submittere se necesse habent. Indeque in *Can. non licet; 2. Dist. 10.* apostitè dicitur, non licere imperatori aliquid contra divina mandata præsumere nec quicquam, quod Evangelicis Propheticis, aut Apostolicis regulis obiret agere. Et D. AMBROS. in *Can. Convenior. 21. Caus. 23. qu. 8. noli,* inquit, *Imperator, ut putes, te in ea, quæ divina sunt, imperiale aliquod jus habere: noli te extollere, sed si vis diutius imperare esto Deo subditus.* præterea Ethnici etiam iniquum judicarunt, vitæ gratiam illi fieri, alii qui vitam eripuit; ipsi enim, quantam in absolvendo homicida cautione usi fuerint, vel ex exemplo, & eleganti Tullii Romanorum Regis discursu de Horatii parricidio apud HALYCARN. lib. 3.

F

poterit

poterit cognosci. Principes itaque nisi cum Davide, filio fratricidæ parente, divinæ justitiæ iram, probra & contumelias provocare, & regno malint periclitari 2. *Regum 15.* abstinere ab hujusmodi atrocissimi delicti gratia, & mandata Divina potius exequendo, ac homicidas promerita pœna puniendo, Territoria sua ab innocenti sanguine expiare debere asserunt, haud respicientes, Regis filius sit homicida, vel alius, plebejus an nobilis. *CARPZOV. p. 1. quæst. 2. n. 8. seqq.* Hinc laudatissimum Poloniæ Regem Stephanum, barbarum & impium illum morem, quo nobiles cædem perpetrantes, se impunitate gaudere, & facinus certâ ac exili quâdam pecuniæ summa, occisi corpori imposita, redimere posse contendebant, prudenter ac justè sustulisse, ac homicidas dolosos sine personarum respectu plectere jussisse dicunt, hac additâ ratione: *Illam Legem divinam esse, qua sanguis ejus, qui humanum sanguinem fudit, rursum fundi jubetur, longèquè vetustiore illâ, quam allegabant, consuetudinariâ.* *WINTHER. in pariben. litig. lib. 1. C. 13. n. 11.* Et adducta hucusquè de simplici homicidio, quin æquè, imò multò magis in Parricidio, Infanticidio, Fratricidio, Matricidio, Uxoricidio, Latrocinio, Assassinio, Veneficio, obtineant, sententiæ hujus negativæ Patroni non dubitant; Etenim *multis LL. reus est,* inquit cum *PLATONE qui parentem occidit, est possibile esse, sæpius aliquem mori, justissimum fore, Parricidam sæpius occidi;* quia publicæ vindictæ convenit, hoc tam enorme scelus, publicè & atrocissimè vindicari. *L. 1. ff. de obseq. par. præst.*

Verum hisce omnibus non obstantibus, si genuina  
juris

juris principia trutinemus; affirmativa longe solidior mihi videtur sententia, quod nimirum etiam in hisce pœnis Princeps, aggratiandi jure gaudens Gratiam Reo facere possit, & supplicium mortis condonare: Ita præter alios ex Catholicis doceat. FRANCISC. SCHMER. *Jurispr. publ. universal. lib. 3. Cap. 2. Sect. 3. §. 3. n. 13. & in Jurispr. Canon. Civ. Lib. 5. tr. 1. Cap. 3. n. 73. seqq.* SIGISM. STAPEF. *Tract. de Majest. Cap. 7. §. 4.* COVARRUV. *Var. Resolut. lib. 1. Cap. ult. n. 8.* à CARPZOVIO peperam in suas partes vocatus, his è protestantibus accedunt, PVFENDORF. *de Jure Nat. & Gentium lib. 8. C. 3. §. 26.* THOMASIVS *in Diss. de Jur. Aggratiandi Princip. Evangel. in caus. homicid. ICTI HALLENSES in Responso à Thomas. ibid. in fin. adjecto.* Ratio autem hujus sententiæ præcipua est: quia pœnarum jure Divino Veteri injunctarum amplissima series non pertinet ad Leges Morales seu Naturales, utpote quæ licet in genere punitionem fontium demandent, at tamen genns, quantitatem pœnæ non determinant; sed spectat ad Leges tantum positivas & Judiciales, fuitque ab initio quidem pro Noëmo, & tota illius posteritate à Divino Namine promulgata, postea verò Reipublica Judaica specialiter per Moysen proposita. *Levit. 24. vers. 17. Exod. 21. vers. 12.* consequenter in Novo Testamento, ubi Leges ejusmodi Judiciales ex se vim amplius non obtinent, pœna Capitalis, pro homicidis statuta, non aliter efficaciam sortitur, ac si in aliqua Republica liberè fuerit recepta: quemadmodum pœna mortis in moechum & adulteram; *Levit. C. 20. v. 10.* nec non in eum, qui coierit cum muliere in fluxu menstruo. *Levit. dict. C. 20. vers. 13.* sancita; ac in filiam sacerdotis, si deprehensa fuerit in stupro, *ibid. Cap. 21. v. 9.* & in sponsam defloratam *Deuteron. C. 22. v. 24.* item in eos, qui parentes verberaverint, aut iis maledixerint, *Exod. 21. v. 15. & 17.* decreta, unà cum multis aliis, in pluribus saltem locis, pridem exolevisse cernitur. Quod autem statim post diluvium hæc pœna. *Genes. 9. v. 6.* statuta legatur, varia sunt Dd. interpretationes; è quibus illa præplacet, aut pœnam illam non fuisse propositam sub obligatione respectu potestatis Politicæ, ut eam semper & in omni

homicidio teneatur, exigere (nam & de bestiis, si hominem occiderint, sanguinem requirendum esse patet ex eodem loco *vers. 5.* addat. *Exod. 21. v. 28.* quæ tamen hodie ob tale facinus vix ullo amplius in loco occiduntur) sed magis, ut, si iudex voluerit, factoque convenientem videat, possit eam imponere, & delinquens, noxæ convictus nequeat eam recusare; aut, si fuerit proposita sub obligatione, eandem non diutius durasse, quam ad tempus Legis Gratia: sicuti nec obligatio, occidendi animal mortiferum, de quo in *d. vers. 5.* nec obligatio, à carnis & sanguinis commestione abstinendi, de qua in *dist. Cap. 9. Gen. vers. 4.* virtutem suam ad idem Gratia tempus extendit.

Hoc igitur supposito, quod pœnæ Criminum, à Deo in Lege veteri constituta ad Leges tantum positivas & judiciales, pro commodo & statu Reipublicæ Judaicæ, sanctitas pertinuerint, sic licet arguere: Leges veteris Testamenti amiserunt suam vim in testamento Novo. *Cap. III. de purificat. post part.* Ergo Leges veteris Testamenti, pœnam mortis v. g. homicidio præstituentes, tanquam judiciales, non obligant in Testamento Novo. Ergo Princeps, qui pœnam mortis homicidæ condonat, nihil agit adversus Legem Divinam, sed tantum in Lege humana dispensat. Ergo per jus Aggratiandi pœnam Legalem mortis relaxare valet. *Confirmatur Discursus:* quamvis in Lege Antiqua Matrimonium inter consanguineos in multis gradibus fuerit prohibitum, ut constat *ex Levit. C. 18.* atramentum in hujusmodi gradibus S. Pontifex potest dispensare, *veluti definitum per Concil. Trident. Sess. 24. de Matrim. Can. 3.* Ergo etiam superior Princeps dispensare potest in pœna Capitali, quamvis in Lege antiqua jam fuerit statuta: quia scilicet Lex antiqua neque in priorè matrimonio, neque in posteriore pœnarum casu, est moralis & naturalis.

Neque de praxi & exemplis hujus affirmativæ sententiæ dubitandum: Atque hic in veteri jam Testamento occurrit

currit præ cæteris exemplum duplex Regis Davidis, viri secundum cor Dei, non solum jus aggratiandi seridè exerce-re volentis in casu à scemina Thecuacensi ficto, sed etiam statim sine hæsitacione ad intercessionem scemina illius & Joabi dispensantis, in casu vero, intuitu deliberati & insidiosi fratricidii, quod Absolon adversus fratrem Ammonem perpetraverat. 2. Reg. C. 14. Et quamvis alias David, si contra præceptum Divinum perperam quid fecisset, correptus fuerit à Prophetis, ob hoc tamen pœnam homicidii dolosi condonantis factum, nequidem ulla admonitio ipsi à Prophetis facta est. In Novo Testamento ex ipso Asylo- rum jure, quo dolosi etiam delinquentes & homicidæ, paucis exceptis gaudent, *Id. ad Tit. X. de Immunit. Eccles. sacris* apparet, pœnam hujusmodi Capitaless posse condonari, præsertim cum in primitiva Ecclesia non tantum sancti patres hæc asylo- rum jura defenderint, & violatores eorum excommunicationis fulmine percusserint; D. AVGVSTIN. *Epist. 187. relata in Can. 8. Caus. 17. q. 4.* D. CHRYSOSTOM. *Tom. 2. Homil. 19.* verum etiam pro homicidis dolosis, ne capitaliter puniantur intercesserint. Idem D. AVGVSTIN. *Epist. 158. seqq.* ubi pro ipsis Donatistis, qui Catholicos presbyteros persecuti erant, & occiderant, atque ita vel maxime pœnam capitis meruerant, intercedit, eosque citra mortis supplicium castigandos esse monet; quod si autem magnus ille Hipponensium Præsul Capitalia supplicia in homicidas jure Divino Naturali, vel jure aliquo Divino positivo perpetuo, indispensabiliter constituta esse scivisset, quod neuti- quam, si ita fuisset, ignorare poterat, profecto pro Donatistis tot homicidiorum reis minime intercessisset. HENICH. *Consil. de dispens. circ. pœn. homicid.* quod extat tam apud THOMAS. *d. Dissert. in fin.* quam apud LVDVIGI *ad Const. Crim. Caroli V. post præsar.*

S. VII.

Restat nunc, ut argumenta, quibus contraria Negantium sententia innititur, paucis diluantur; Et quidem præcipuum illud ex Divinis Antiqui Testamenti Legibus petitum per ea,

quæ hucusque adduxi sua sponte concidit; Negatur itaque etiam, quod Princeps, homicidæ gratiam faciens Legem superioris aboleat: utpotè cum pœna criminales in Lege Gratiæ non obligent ex Lege Divina, sed humana, quam non solum Imperator, sed etiam ex communicatione potestatis Territorialis quilibet Imperii status immutare potest. Solent quidem Dissidentes etiam adducere dictum Christi ad Petrum, apud MATTHE. Cap. 26. v. 52. *Converte gladium tuum in locum suum. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt:* At juxta COVARRUV. *Var. resol. lib. 2. Cap. 9. n. 2. in fin.* id non est reterendum omnino ad gladium verum, quo occidens extinguitur: Sed ad pœnam, quæ juxta criminis proportionem vel per judicem justè infligenda, vel prudenti Principis arbitrio, secundum circumstantias moderanda, aut mitiganda: non semper secundum speciem, sed secundum pœnæ vel gratiæ mensuram; alioqui, si ea verba essent intelligenda juxta speciem, non possent homicidæ justè damnari ad truces, quod tamen assidue fieri solet; Deinde ibidem, ut in illo Apocalyps. C. 13. v. 10. dicto: *qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi.* Non agitur de officio Principum & Imperantium, sed de prædictione malorum homicidis futurorum, qui, tametsi subinde pœnas humanas effugiunt, justo tamen Dei judicio plerumque cum Absolone gravissimè affliguntur.

## §. VIII.

Porro dum *urgent*, Jure Natura pœnam Capitalementis homicidis dictari, quia nihil magis naturale sit, quam ut, quod quisque damnum alteri intulerit, jure Talionis ipse rursus patiator; in Jure Natura verò non competere Principi potestatem dispensandi. *Respondeo*, negando Antecedens; Nam licet Jus Natura in genere dicitur, puniendos esse delinquentes, modum tamen pœnæ in nullo delicto determinat, sed prudenti Principis arbitrio relinquit. Nec potuit Jus Natura pœnarum species determinare, quia pœna, ut justa sit, debet habere proportionem cum delicto, delicta verò infinitè variant, etiam ejusdem speciei; At quæ ta-

ita sint, regulis universalibus, quales sunt dictamina juris Naturæ, includi nequeunt. Sic jus Naturæ dicitur quidem medico, ægrotantibus succurrendum esse medicamentis aptis; sed quænam talia sint, frustra quæret medicus in jure Naturæ cum pertineant ad artem medicam, sic jus Naturæ dicitur, neminem in contractibus esse lædendum, sed res justo pretio vendendas. At justum pretium jus Naturæ non definit, sed determinatio ejus pertinet ad prudentiam economicam; Ita pariter determinatio pœnæ ex prudentia politica regulis petenda est, non ex jure naturæ. Deinde Jus Talionis saltem dicitur, non habere eum, qui paria iis, quæ fecit, patitur, causam conquerendi, quasi ipsi fiat injuria, è contra non dicitur, illum, qui injuriam passus est, debere tantum damnum inferre, quantum alter fecit; neque dicitur, eum, qui jus coercendi habet, aut tantum, aut non majus damnum inferre debere, uti vel ex solo jure coercionis Paternæ liquidum est. Insuper Naturalis illa de Talione ratio saltem probat, Principem Capitalementem pœnam homicidis justè pœnigere, minimè verò probat, Principem eam semper executioni dare debere.

§. IX.

Quod si autem instant dissentientes: Tamen si jus Naturæ non dicitur pœnam Capitalementem homicidis, tamen id cerro, dicitur, ut delicta puniantur, adeoque per Jus Aggratiandi in nostra hypothèsi contra jus Naturale & Divinum peccatur, quod, Princeps ceu Minister justitiæ Divinæ, nocentem homicidam absolvat. Errant nimium. Hoc enim argumentum obstat etiam ipsis dissentientibus, qui saltem in aliis quibusdam delictis juri Aggratiandi locum concedunt: Contra tamen Naturalis & Divina Lex sine distinctione præcipiat, ut maleficum non patieris vivere. Deuteron. 21. & de Jodice ad Rom. 13. dicitur: non sine causa gladium portat, vindex in ira, qui illi qui malè agit. Adeoque si Princeps tenetur in omni casu nocentes punire, jus Aggratiandi nunquam exercere poterit. Verum nota est differentia inter præcepta juris Naturæ Negativa, & Affirmativa: Illa nunquam aliter se habere possunt.

possunt; Hæc verò varias admittunt limitationes ex variis circumstantiis; quam differentiam scholastici ita solent exprimerè: Negativa præcepta, obligare semper & pro semper; Affirmativa semper quidem, sed non pro semper, id est, multas posse rationes esse, quæ jubeant, vel saltem prouidenter suadeant cessationem actionis ad tempus in præcepto affirmativo. Unde potius pro mea sententia sequens subnecto ratiocinium. Præceptum Juris Naturæ de puniendis delinquentibus in genere, non tollit jus aggratiandi in genere. Ergo etiam præceptum juris Naturæ de puniendo homicida: esto etiam, quod tamen nec dum concessi, aliud quod adesse, ei capitalem pœnam irrogans; non tolleret jus Aggratiandi homicidam in specie: Licet enim ex virtute justitiæ punire fontes Princeps debeat, potest tamen etiam ex virtute clementiæ quandoque remittere aut mitigare pœnas; siquidem pridem jam abolita est illa, quorundam veterum, & Stoicorum opinio, qui ex levi argumento negabant, pœnæ remissionem unquam justè & licitè fieri posse. Quod pluribus pro more suo elegantè & solide pertractant GROTIUS de Jure B. & P. Lib. 2. C. 20. §. 21. FRANQUET SCHMIER. *Jurispr. publ. Univerf. L. 3. C. 2. sect. 3. §. 3. n. 129.*

§. X.

Si denique parent dissentientes, homicidam non sublato, Reipublicæ sufficienter cautum non esse; meminere, oportet, quod, cum Legislator in sua Lege (saltem licitè) dispensare non valeat, si viderit dispensationem in detrimentum Reipublicæ cessuram, omnino credendum sit, in tali hypothesi, ubi homicida superstes in plura ejus generis scelera ruiturus creditur, dispensationem denegatam iri. Imò, cum præter pœnam sanguinis, alia dentur supplicia; homicidam ad similia patranda inhabilem reddentia, v. g. deportatio in Insulam, condemnatio ad triremes; inclusio in perpetuum carcerem: nulla est necessitas, ut pro Reipublicæ salute supplex homicida interficiatur. Quia ipse Creator Divinus primum homicidam simul & fratricidam Cainum non tantum non Capitis damnavit, sed etiam

iam



iam, ne ab aliis, uti non vanè metuendum erat, capite puniretur, speciali signo pramunivit, sicut legere est *Gen. 4. vers. 19.* facile tamen concesserim, Principem in concedenda hac poena capitalis remissione non tam facilem esse debere, praterquam si gravior & urgentior causa adfuerit, cum gladium frustra non portet, sitque vindex Divina Nemesis in omnes, qui scelera morte digna patnaverunt. *Rom. 13. vers. 4.* ZIEGLER. *de Jur. Majest. lib. 1. C. 8. §. 3.* Neque enim putandum est, dum jus Aggratiandi in poena homicidii propugno, me defendere velle libertatem homicidas quosvis impunes dimittendi, aut etiam suadere, ut contra regulas prudentiæ ex vitioso affectu dispenseretur; nam uti in genere jus Aggratiandi debet exerceri non tumultuarie sed ex rationibus & causis prudentibus; ita eadem haud dubiè sub intelligenda sunt, in assertione de licentia gratiam dandi homicidæ. Unde frequentior etiam est in hoc nostro casu ea species aggratiationis, quæ non planè impunem dimittit homicidam dolosum, sed saltem poenam Capitaalem commutat in minorem; quippe rarò subsunt rationes omnis poenæ dimissionem suadentes.

## §. XI.

Antequam hoc loco obeam, non possum praterire ineptum ac Insulsum illud commentum, quo usus est THOMAS. in *supr. cit. Diss. de jure Aggrat. Princip. Evang. in caus. homicid.* dum variis & iteratis vicibus, præsertim *Cap. 1. §. 5. Et o. item Cap. 3. §. 6. 7. 8. & 9.* sine ulla probatione adducta, non verum dicendi, sed calumniandi animo, non solum imputat summo Pontifici: quod Principibus Catholicis jus dispensandi in crimine homicidii ademerit; ita ut illud salva sua Religione in terris sibi subiectis exercere nequeant. Vanissimo hocce figmento, aliisque pluribus, poterat equidem rudem, nondumque meliora edoctam juventutem, in auditorio decipere; neutiquam verò magis eruditos in suas seducere partes; quippe reclamante manifesta praxi, qua Principes & Imperatores Catholici hanc in homicidio doloso, certis

tis ex causis Aggratiandi potestatem, ut poterit: Regiam & politicam, non tam à summo Pontifice vindicant (& quomodo vindicent, quod Pontifex iisdem in dubium vocare nonquam praesumpsit?) sed jure sibi proprio competere vix non quotidianis rerum argumentis confirmant.

Postquam igitur per hucusque adducta satis constat, Principi gratiosam dispensandi facultatem in iis etiam delictis competere, quorum poena Capitales in Legibus Divinis antiqui Testamenti extant, eadem multo magis exerceri poterit circa poenas capitales aequae, ac non capitales, quas Romanarum Legum placita introduxerunt, utpote in quo Dd. omnes, illi etiam, quos in praecedentibus advertentes habui, consentiant; Praesertim si sint delicta, quae non Natura, nec Lege aliqua Divina, sed humana tantum, ob politicam aliquam & probabilem causam sub poena prohibita, aut contra solum Principis jus, & personam ejus commissa sunt. *L. un. C. si quis Imper. maledixit.* Hinc Theodorus junior ab amicis interrogatus, cur neminem eorum, qui ipsum laesissent, supplicio capitis afficeret, fertur respondisse: *Utinam mihi liceret, & mortuos ad vitam revocare.* Ad privatas quidem injurias oportet Principem esse facilem ad ignoscendum; sed in aliis, quae ledunt Rempublicam, decet esse severiorem. THEODOR. Colleg. Crim. disp. 10. tit. 7. lit. l. Ac si delictum in se & sua natura turpe sit, sed poena capitis civili tantum jure imposta v. g. in furto, & rapina; quin Princeps eandem remittere possit, non dubitatur; plerique tamen suadere volunt, propter vigorem disciplinae publicae, eam non facile in totum relaxandam, sed potius in aliam leviores esse mitigandam. Caeterum omnia huc usque dicta ad hoc magis locum habent, si delicta sint dubia, incerta, necdumque satis probata; nam in his plenior & laxior condonandi facultas Principi tribuitur, & merito eo quod juxta regulam *L. 5. pr. ff. de poen.* facius sit impositum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnare. MYLER, de Princip. & Stat. Imp. part. 2. C. 50.

CAPVT



CAPVT IV.

De Forma & Effectu Juris Aggratiandi

**R**ecto nunc pede ad Juris Aggratiandi Formam & effectum progredior; Forma autem est, per quam res in suo esse constituitur, ab aliis rebus distinguitur. Videndum itaque in quo formalis ratio Juris Aggratiandi consistat; Consistit vero in ipsa potestate promeritas poenas ex clementia remittendi; ita, ut aggratiatio sit ipsa gratiosa liberatio à Juris & poenarum vinculo; rationabili tamen causa interveniente.

§. II.

Qua propter superior nunquam proclivis sit ad dispensationis Gratiam impertiendam, nisi rationes ejusdem habeat prudenter commoventes, neque in condonandis supplicis nimium facilem & frequentem se praebeat, alioquin facile crimina faciliora & frequentiora reddet. Quicquid enim justitiae & laudis juri aggratiandi inest, id ex justitia & veritate causa moventis dependere, & ideo Principem absque causa ex mera gratia damnato reo poenam citra cauteriatam conscientia formidinem remittere non posse, asserit SCHWEDER. in Jur. publ. part. spec. Sect. 2. C. 14. n. 5. siquidem cum Reipublica interfit, ne delicta maneat impunita, & obligatio delinquentes puniendi, ex ipso naturali Jure dependeat, ut onus subinde castigatione & exemplo centum alii terreatur; Reces. Imper. de A. 1567. §. wie wohl wir. ibid. ein vorgebildeten Spiegel haben. Hinc promiscue & sine causa gratia non est facienda, ne univiam concedendo, cum hoc alios perdat infinitos; Adeoque saepe Princeps pro abolitione poenarum sollicitantibus prudenter respondere poterit; quod Harpalo olim Philippus Macedo pro amico suo intercedenti reposuit: *Melius est, ut ipse, qui deliquit, ignominiam ferat, quam ego.* PLUTARCH. in Apophthegm. Hinc etiam de Ludovico Gallia Rege fertur: quod, cum Reo

cuidam ad mortem damnato, vita gratiam fecisset, solira devotione incidens in Psalmum 105, v. 3. *Beati, qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam in omni tempore. Divino quasi oraculo, officii admonitus gratiam revocaverit.* P. MATTHIEV. lib. 6. *Histor. narrat. s. Accedit, quod delicta post impunitatem commissa, ab ipso Magistratu veniam dante commissa videantur, qui si primo perpetrato delicto, capitali præsertim legitimo iustitiæ mucrone, publicæ securitatis violatorem jugulasset, iteratò non deliquisset; idcirco Henricus Angliæ Rex, cum ad preces quorundam homicidæ ignovisset, & ille iteratò eadem admisisset, ac priores eius amici se denuò deprecatores interponerent, Rex animo percussus inquebat: Ille unum tantum priorem interfecit, sed istum posteriorem ego interfeci, qui primam eadem debite non punivi; ac ea propter iussit, ut de malefactore primo tempore supplicium sumeretur.* MELAND. in *jocof. n. 217.*

§. III.

Quamquam autem ab aliis multis regulæ instar tradatur, Principem de plenitudine potestatis, cujusvis pœnæ reo gratiam posse indulgere, nudumquæ ejus notum pro legitima causa sufficere. MOELLER. *semestr. 3. C. 31.* attamen rectius & modestius, meo quidem iudicio, sentiunt illi, qui rationabilem causam Principem ad exercitium hujusmodi Gratiæ moventem desiderant; LIMNÆ. *Jur. publ. lib. 4. C. 8. n. 287.* ubi prudenter inquit: Ne Principes nostri terminos potestatis suæ excedant, summo Reipubl. detrimento, nec ansam delinquendi indistinctè prabeant subditis, illis suasor fuerim, ut in remissione capitalium præsertim pœnarum, magnâ utantur circumspectione, eamquæ nec ad qualibet delicta, nec ad quas libet extendant personas. Eleganter MEY. *ad jus Lubec. L. 4. t. 15. art. 1. n. 12.* inquit: sine causa restituens peccat in Remp. quæ eget severis exemplis ad cohibenda facinora, nec ullâ re citius corrumpitur, quam pœnarum elatione, quibus solis publica nititur disciplina. Nec non REINKING. proni quidem, ait, debent esse Principes ad clementiam, sed quantum fert bonum publicum. Confer. dicta ad §. IX. sup. Cap. I.

§. IV.



Sicut autem hæc & similia prudentum dicta de promissa & indifferenti condonatione & poenarum remissione exaudiri volunt, ira non est dubium, quin Princeps ad Gratiolam indulgentiam, iustis ex causis laudabiliter procedere possit. Ex quibus verò causis superior ad delictorum veniam prudenter moveri valeat, multi multas confarcinarunt; quarum quædam illa ipsa sunt, quæ non soli Principi propria, sed ad viam iustitiæ, adeoque ipsos etiam inferiores Magistratus spectant, pro ut *supr. Cap. 1. §. 4. §. 5. item Cap. 11. §. XIV.* pluribus monui, alia autem exigui esse ponderis, & in uno alterove delictorum genere, haud tamen in omnibus valere videntur. Varia causa exhibentur in compendio à SCHWEDER. *dist. loc.* veluti multitudo liberorum, spontanea delicti confessio, aliquando temporis diuturnitas, non nunquam gravis ira, amicitia, insigne in Republicam meritum, & eximia virtus, nobilitas & dignitas, officium, paupertas, probitas vitæ antea actæ, summa senectus, intercessio potentis Patroni, insigne artificium, utilitas publica. At, quid de his aliisque pluribus sentiendum, ad rectæ rationis rutinam excurrere, instituti ratio non patitur. Summa igitur, hic Principis prudentia, maximaque cura opus erit, ut fietas nonnullorum Aggratiandi causas à iustis & legitimis segreget, & sic cognitâ prius delicti gravitate, probe considerata causarum quantitate, ac personarum qualitate, illud demum eligat atque concludat, quod neque Reip. damnum, propria conscientia maculam, ac privatis injuriam inferat, aut, quod maxime verendum, ne iustitia Divina ob humanam iustitiæ neglectum, ad iustam iram, torrensque terra' everisionem provocetur, juxta illud HESIOD.

*sepe viri peccata luant vota unius urbes.*

id quod pie Imper. JUSTINIAN. quoque considerasse, ex Nov. 77. satis liquet. Absit igitur, ut perversorum quorundam Causidicorum votis subscribatur, qui, quando spes dolosi refulget nummi, omnem movent lapidem, ut aliquid pallioli ad obsuscandam aut imminuendam facinoris veritatem



tatem effingant, & confarinatis variis glaucomatibus sceleratis hominibus veniam reportent; exeat potius tunc injusta misericordia, quæ parcendo lupis, mactat oves, & indulgendo reis, multos ad prolapsionis provocat interitum; sapius è contra mente volvatur illud SENEC. non posse pinguiorem victimam mactari Deo, quam hominem sceleratum.

Ad formam Juris Aggratiandi etiam pertinet modus, quo hoc jus exerceri solet; quod nempe vel litteris fiat, quas Gratia Rescripta vocamus, vel sine litteris, aut motu proprio, aut ad delinquentium, eorumve amicorum intercessionem & petitionem; quid autem in his singulis veniat observandum, cum ob pagellarum angustiam examinare nequeam, illud unicum saltem moneo quod gratiam impetratam perimat seu invalidet subreptio ab falsitate precum, aut suppressio quarundam qualitatum; unde rectè concludit COVARRV. var. resolv. lib. 1. Cap. ult. n. 8. remissionem homicidii, ejusque abolitionem à Principe impetratam, non factâ mentione prioris indulgentiæ, simile crimen eidem impetranti dimittentis, tanquam subrepticam esse invalidam; eo quod Princeps, si certior factus fuisset, esse homicidam, veniam criminis postulantem, prius aliud homicidium perpetrasse, ejusque veniam obtinuisse, veniam modò petitam probabiliter non concessisset, plura habet THEOD. Aph. 7. n. 8. 28.

Effectus denique Aggratationis, qui paucissimis nunc attingendus venit, est, ut Reus à pœna promerita liberetur. Interim ejusmodi gratia generaliter tantum concessa, cum sit contra juris communis vigorem, strictè est intelligenda, ideoque regulariter nec restitutionem bonorum confiscatorum, juriumque pristinorum operatur, nec infamiam criminis tollit. L. 3. C. de gener. abolit. L. 2. L. 1. C. de sent. pass. nisi Princeps hoc expressè & enixè velit, reum plenariè in Integrum restituendo; L. 1. L. 3. C. d. t. L. 10. C. de gen. abolit. Ubi bona apud fiscum existentia, quidem recipit. Ast i. e. que



que fructus medij temporis à fisco repetere neque bona interim interitum bona fide translata vindicare potest; de quibus omnibus, aliisque ad effectum Aggratiationis spectantibus plura tractant MOLIN. de J. & J. Disp. 10. § 48. MYLER. de princip. & stat. Imper. p. 2. C. 53. GLETTE in Tr. de Crimin. tom. 1. p. 1. §. 8. n. 27. seqq. WISSENB. Disp. ad ff. 37. 16. 29. LAVTERB. Colleg. Pract. tit. de pæn. item de sent. pass. in fin. Multa ad huc alia quidem dicenda superessent, sed cum Dissertationis Consuetæ modum excederent, hic filium abrumperè cogor.

F I N I S.

Positiones ex jure publico Universali.

1. Populus contra Principem Majestatem proscribere potest & vice versa.
2. Duae potestates supremae in eadem Republica Monarchica non in uno, sed in diverso genere esse possunt.
3. Sola infidelitas non sufficit ad bellum indicendum.
4. Princeps necessitate exigente subditorum bona hosti cedere potest.
5. Repressalias adhibere inter gentes licet.
6. Potestati supremae saculari non convenit jus sacrorum.

Positiones ex jure publico Romano-Germanico.

1. Recessus Imperii ex parte Imperatoris ut conventio, respectu statuum verò obligant ut Lex.
2. Germania & Italia in unam transire Republicam.
3. Ad Auream Bullam in substantialibus abrogandam vel extendendam non solus Electorum, sed reliquorum statuum consensus quoque requiritur.
4. Quandoque Imperator ratione Imperii absque consensu statuum pacem inire potest.
5. Imperator abiturus potest sibi quem velit vicarium constituere non adhibito consensu vicariorum Imperii.
6. Si Imperium per annum vacet, vicarii investituram feudi petentibus dare possunt.

aiuQ

Posi-

Positiones ex jure Canonico.

1. Scientia Juris alieni non inducit malam fidem impeditoam prescriptionis de jure Can.
2. Translatio Episcoporum jure Ecclesiastico prohibita est.
3. Suscipiens beneficium cum animo non perfeverandi in statu clericali, non tenetur ad fructuum restitutionem.
4. Decimas ab antecessore non solutas successor solvere tenetur.
5. Consuetudo testandi de bonis merè Ecclesiasticis valida est.
6. Votum ingrediendi Religionem ab Episcopo emissum obligat.

Positiones ex Jure Civili.

1. Minor in negotio valido lesus ab adcepta Majorennitate eligit, an intra quadriennium restitutione in integrum, vel intra 30. Annos contra tutorem actione tutela agere velit.
2. Vitricus de bonis Privigni Usufructum petere nequit, licet ei alimenta praestet.
3. Divisio hereditatis ob modicam inaequalitatem rescindi potest.
4. Haeres Praesens vires hereditatis juramento manifestationis indicare tenetur, si absens petat.
5. Etsi pro instrumento militet praesumptio, eil tamen impedit, quo minus contrarium ostendendo infringi possit.
6. Ubi inter Conjuges Communio bonorum recepta, defuncti solummodo bona inter liberos & conjugem superstitem dividuntur.

Positiones ex Jure Feudali.

1. Investitura feudi nondum aperti sub conditione facta valida est.
2. Pater feudum, cui in gratiam filis renunciavit, repetere potest, si hic sine descendantibus moriatur.
3. Filius qui commisit contra patrem talem ingratitude, quae sufficit ad exheredationem, iacirco à Patre etiam cum consensu Domini feudo privari non potest.
4. In feudo franco Femina regulariter non succedit.
5. Vassallus in testamento filio suo ad feudalia tutorem dare potest.
6. Ut res Ecclesiastica tanquam feudalis praescribatur, sufficiunt 30. Anni.



(X228 2285)

VD  
18

ULB Halle

3

007 436 564





[mit Wappen]

4

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA  
PVBLICO-CIVILIS,

DE  
**JVRE AGGRATIANDI;**

QVAM  
**VNA CVM NONNVLLIS POSITIO-**  
NIBVS EX JVRE PVBLICO VNIVERSALI ET  
GERMANICO, NEC NON IVRIS CANO-  
NICI, DIGESTORVM ET FEVDO-  
RVM LIBRIS,

1729  
36

IN PERANTIQA VNIVERSITATE ERFORDIENSI,  
RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO  
REVERENDISSIMO ET AMPLISSIMO DOMINO

**DN. PLACIDO,**

REGALIS MONASTERII S. S. APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI ORD. S.  
BENEDICTI INTRA ERFORDIAM ABBATE, PRÆPOSITVRE ZELLENSIS  
ET IN FRANCKERODA AD VVERKHAM DOMINO, S. FACVLT.  
THEOLOG. ASSESSORE PRIMARIO, ETC.

DIVINA FAVENTE CLEMENTIA,  
EX DECRETO ET AVTHORITATE

**MAGNIFICI JCTORVM ORDINIS,**

PRO LICENTIA DOCTORALI

IN VTROQVE JVRE RITE OBTINENDA,  
IN AVDITORIO JCTORVM MAJORI,  
HORIS CONSVETIS


ERVDITORVM VENTILATIONI SVBMITTIT,

**ANTONIVS JOSEPHVS LARENZ,**

VVESTPHALO-VVARBVRGENSIS.

DIE XXII. OCTOBRIS, M DCC XXIX.

ERFORDIÆ, Listerie GROSCHIANIS, Acad. Typogr.



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Centimetres